163 2014 B 34

BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II ROMA
204
19 D
34

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

71
7
A
24

34-338.
34 A 38
34-E-35

9011.19 $ 34

LUCERNA
CONFESSARIORUM
PRO ABSOLUTIONE
AB HÆRESI
CREDENTIA &c.

Digitized by Google

LUCERNA CONFESSARIORUM,

UT

Lumen videant in abſolvendo ab excommunicatione lata in primo Canone Bullæ Cœnæ, nimirùm in Hæreticos eis credentes, fautores &c.

SCRIPTORE

FR. RAYMUNDO NIDO SONCINATE

ORDINIS PRÆDICATORUM,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

AC PAPIENSI INQVISITORE.

SUB AVSPICIIS

REVERENDISSIMI DOMINI,

D. HENRICI BOSELLI

ABBATIS S. MARTINI PARMENSIS.

Bibl. Coll. Soc.



Secr. Rom. Jesu

PAPIÆ, ET PARMÆ MDCXCV.

Apud Albertum Pazzonum, & Paulum Montium Socios.

Digitized by Google

ABBAS REV.^ME

Les ille, qui pater eſt, proleſque ſui, vix fertiliè rogo, fęcundoque Solis radio priſtinæ reſtitutus eſt vitæ, cum hujus ad aram penna præpete ſe conferre in more habet. Ibi Numini illi, cui alternam debet vitam, ſe ſiſtens, & de redeuntibus ſæculis grates perſolvit, & ab eodem fælicia omina ævo, anniſque iterùm exigendis precatur,

Digitized by Google

catur, & ſumit. Librum hunc, qui LUCERNA CONFESSARIORUM *inſcribitur, alterum veluti Phœnicem meis è Typis tuus,* ABBAS REVERENDISS. *Humanitatis, & auctoritatis fulgor in lucem revocavit. En illum itaque tuum illicò ſe dantem in conſpectum, ut & cum tua Humanitate contracta nomina diſſolvat, & ab Auctoritate optatiſſimum longum in æuum ſortiatur auſpicium. Cur autem citatiſſimus ad te non advolet æternitate à tanto* PRÆSULE *donandus, cum tot doctiſſimorum hominum volumina eodem ducta deſiderio tuas in ædes thurmatim confluxerint? Cur inſuper tanti voti ſe compotem per te factum iri certa ſpe non teneatur, cum Munificentia tua in ſcientias benè animata, æquè, ac liberalis nobili earumdem conturbernio inſignem adeò extruxerit Bibliothecam, ut ſibi jure optimo Ovidianum illud uſurpare poſſit:*

Jamq; opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Si in hunc itaque litterarum Aſylum aditus huic libro patebit, domi tenebis, & egregium tuæ Humanitatis argumentum, & meæ in te obſervantiæ pignus æternum.

Datum Parmæ die 28. Maii 1695.

Humillimus, & Obſequentiſs. Seruus

Joſeph ab Oleo cum Sociis.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QVamplures de abſolutione ab hæreſi, excommunicationeq; priori in Canone Bullæ Cœnæ lata, ſcripſere: Quia tamen ipſorum dicta, unà cum aliis tractatibus, magnis in voluminibus, quæ omnibus à Confeſſariis, haud facilè haberi poſſunt, continentur: nec Scriptor aliquis, quem viderim, diſperſas argumenti hujus doctrinas, accuratè, ex inſtituto, dataq; opera in unum colligere ſollicitus fuit, idcircò veritatum iſtarum ignorantia non pauci Confeſſarii adhuc laborant, prout per temporis ſpatium, quo Sacro Tribunali Fidei inſervio, non abſq; animi mærore expertus ſum. En paucis, Candide Lector, laboris mei, Opuſculi in hujus elucubratione, motivum meæ ſcriptionis ratio. Cauſa lucis præbendæ Miniſtris Sacramenti Pœnitentiæ, ut quid poſſint, debeantq; in hæreticorum, eis credentium, fautorum, defenſorum, receptatorum, Schiſmaticorum, Apoſtatarum, necnon prohibitos libros legentium abſolutione ſciant, Lucernam hanc accendo, perpauca iſta chartæ commito, &, ſi felici aura navigare ſors mihi erit, itaut mea ex Lucerna te illuminari contingat, totum meæ conſcriptionis finem adeptus ero. Sententiarum in ſelectione perſonas non accipio, non enim amore ſuorum, extraneorumvè odio, minus litteratorum conſcientiæ regulandæ; Communioribus, ut plurimùm, adhæreo, ſiquidem cum pluribus loqui, niſi novum jus aliter diſponat, aut manifeſta ratio in contrarium ſit, magis tutum: Quid nihilominus peculiare ab aliis non prolatum, ferè omnibus in ſectionibus, aſſertionum in probationibus, aut rationum explanationibus, objectionumvè dilutionibus, invenies. Scholaſtica methodo aliqualiter utor, illorum in gratiam, qui Scholaſticis materiis totos ſeſe dicarunt, ut quoſcumq; alios libros faſtidiant, non abſq; maximo ipſorum præjudicio, ſic enim utiliores doctrinas non deguſtant, moralia inviſa habent, quid nominis Canonicæ ignorant, cum tamen *diſt.* 38. *Can. Nulli*, ſcriptum ſit. *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare*, ſenſus in vanitate perambulant, dum magnos ſe jactant Theologos, locos Theologicos neſciunt, &, ut cum Paleſtinæ Cultore, *Epiſt. de Fil. prodig. ad Damaſum*, loquar, *in fame veri, & virtutum penuria perſeverant*. Nihilominus à Syllogiſticæ formæ rigore abſtinere decrevi, quoniam hac tempeſtate apud graviores viros dialectica forma gratiam non invenit, pro vanitate habetur; quamobrem Caſuiſtæ, Morales Theologi, ac Canoniſtę ipſa non utuntur. Fallaci impreſſionis conditioni donabis errata, quæ circà ortographiam, litterarum falſitatem, numerum, caſum, dubitamvè terminationem reperies. Vale.

AD

AD

LUCERNAM CONFESSARIORUM

R.P. Fr. Raymundi Nidi Soncinatis, Sac. Theol. Magiſtri, ac Papienſis Inquiſitoris.

DISTICHON.

In quo Auctoris ad Nomen, Operiſque inſcriptionem alluditur.

DUM pandis, tenebras pellens de mente LUCERNAM,
Nomine RAYMUNDI, non niſi digna geris.

AD IDEM.

EPIGRAMMA.

CArpere, ſi cupias de ſacro lumina libro,
En ſacer hic claudit, quidquid in Orbe micat.
Terreat, haud titulus, quem præfert fronte LUCERNÆ,
Quod radiet majus, non habet Orbis opus.
Doctrinæ hic latitant, clariſſima lumina ſolis,
Cæleſte hic Thomæ, clauditur omne decus.
Doctorum innumeri, quæ ſervant dicta Libelli.
Clareſcunt noſtri, lumine cuncta libri.
Hæreſis hic animas, quæ ſtringunt vincula, pœnas
Solvere fusè docet, quem docet, atque modum.
RAYMUNDI eſt opus, haud mirum, ſi luce refertum
Doctrinæ NIDUM talia ferre decet.

AD IDEM.

ALIUD DISTICHON.

QVem nequit ante hominem, Cynicus luſtrare LUCERNA
Cum tua ſplendet, homo, lumen, & Orbis ades.

Ad Doctrinam, & probitatem Auctoris alludendo.

TETRASTICHON.

SAT Tua, dum fulget radianti nomine virtus,
Quid tibi ſplendoris; clara LUCERNA dabit?
Doctori virtute parem, pietate parenti;
Luceat, & radiet, nomen, Opuſque decet.

Pangebat F.A.T.D.N.

Appro-

Digitized by Google

Approbationes Operis, ac Facultates.

JUſſu Reverendiſs. P. Fr. Joannis Thomæ de Rocaberti, totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, legi, ac perlegi Opuſculum à R. P. Fr. Raymundo Nido S. T. M. ac Inquiſitore Papienſi elucubratum, cui titulus, LUCERNA CONFESSARIORUM, cumque acuratiſſimè omnia luſtraverim, inveni opus Catholicum, ſolidæ doctrinæ, dignumque nomine Lucernæ, quæ non lateat ſub modio, ſed Typis excuſſa præemineat Sacrorum Miniſtrorum utilitati in Eccleſia Catholica &c.

Fr. Thomas Maria Blancardus S. T. M. Publicus in Archigymnaſio Ticinenſi S. Litterarum Interpres &c.

DE mandato Reverendiſs. Patris Magiſtri Fratris Thomæ Rocaberti, totius Prædicatorum Ordinis Generalis, Librum, cujus titulus eſt LUCERNA CONFESSARIORUM à Rev. Patre Sac. Theologiæ Magiſtro, Fratre Raymundo Nido Soncinate, totius Ticinenſis Diœceſis Inquiſitore Generali confectum, accuratè legi, attentè totum percurri, lubenti animo conſideravi, nilque à Chriſtiana Fide devium, à legibus indictum continentem, ſed eruditè, clarè, Doctoris Angelici S. Thomæ Doctrinæ, ſacriſque ſanctionibus conſonum animadverti. Quapropter cum ſit Lucerna, non utique ponenda ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, præcipuè Confeſſariis, quibus conſcientias dirigendi cura fuit demandata, ne ſine hac luce ambulantes in foveam cadant, prælo conſignandum dignum eſſe cenſeo.

Fr. Michael Seraphinus Angelerius, Sac. Theologiæ Magiſter, ac Prior SS. Thomæ, & Apollinaris Papiæ.

✠ ✠ ✠

† Nos

Digitized by Google

Nos Fr. Jo. Thomas de Rocaberti, Sac. Theolog. Profeſſor, ac Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Seruus.

Harum ſerie, noſtrique auctoritate Officii, tibi Reu. Adm. Patri Magiſtro, & Inquiſitori Papię, Fr. Raymundo Nido à Soncino noſtræ Provinciæ Lombardiæ, facultatem concedimus, quantum in nobis eſt, ut Typis mandare poſſis Librum à te compoſitum, cujus Titulus LUCERNA CONFESSARIORUM &c. jam à duobus Patribus Theologis noſtri Ordinis ex noſtra commiſſione reviſum, & approbatum: ſervatis tamen de jure ſervandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 2. Junii 1674.

Fr. JO. THOMAS DE ROCABERTI
Magiſter Ordinis.

LOCO ✠ SIGILLI.

Regiſtr. fol. 39.
Fr. Seraphinus Bertol. Mag. Prov.
Rom. & Soc.

REIMPRIMATUR
Fr. Jo. Carolus Falconi Magiſter, ac Inquiſitor Generalis Sancti Officii Parmæ.

REIMPRIMATUR
Julius della Roſa Vicarius Generalis Parmæ.

VIDIT
Clapinius Præſes Cameræ.

IN-

Digitized by Google

INDEX
Diſceptationum, ac Sectionum Opere in iſto contentarum.

DISCEPTATIO I.

Quali gaudeant facultate Confeſſarii ab Ordinariis approbati pro abſolutione ab hæreſi formali, ac excommunicatione ipſi annexa extra caſum neceſſitatis? fol.1.

SECTIO 1. *An Confeſſarius quilibet approbatus abſolvere poſſit ab hæreſi purè mentali? fol.1.*

2. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit hæreticum purè externum? fol.7.*

3. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hæreſi externa, & interna ſimul, ſed occulta? fol.11.*

4. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui hæreſim ſuam internam manifeſtat per ſigna, quæ non ſufficerent ad indicandum perſonæ præſenti, ſi adeſſet, animum ſuum hæreticum? fol.15.*

5. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hæreſi interiori manifeſtata per verba æquivoca, habentia Catholicum, & Hæreticum ſenſum? fol.20.*

6. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hæreſi interna, completè manifeſtata exteriùs, per verba prolata in ſomno, vel ebrietate? fol.24.*

7. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui hæreſim ſuam internam manifeſtavit per ſignum externum, quod non ſit peccatum mortale? fol.29.*

8. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hæreſi interna, manifeſtata, non locutione, ſed opere, vel omiſſione? fol.32.*

9. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui volens externè manifeſtare errorem, quem habet in mente circà Incarnationem, præter intentionem ſuam, non hunc, ſed errorem, quem fovet in corde circa Trinitatem, exteriùs exprimit? fol.35.*

10. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit eum, qui hæreſim externam protulit, & poſteà dubitavit, num prolationis in actu, mente conſenſerit? fol.39.*

Digitized by Google

11. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit habentem errorem poſitivum contra fidem ex ignorantia craſſa, vel etiam affectata? fol 42.*

12. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit dubium in fide? fol.*46.

13. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui habet aſſenſum opinativum abſolutè de rebus fidei, & abſolutè judicat illas probabiles eſſe? fol.*50.

14. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui tenet opinionem veram, putando illam eſſe contra Eccleſiam Catholicam? fol.*53.

15. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui ſentit contra Eccleſiam, non ex motivo ſentiendi contra illam, ſed propter aliquod aliud motivum? fol.*56.

16. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit diſſentientem ſpeciali revelationi ſibi ſufficienter propoſitæ ad credendum? fol.*59.

17. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit negantem propoſitionem theologicam evidenter deductam ex una præmiſſa naturali, aliaque de fide? fol.*62.

18. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ſentientem contra Eccleſiam, ſed paratum corrigi, ſi argumentis convincatur? fol.*64.

19. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit peccantem hæreſis peccato ex parvitate materiæ? fol.*67.

20 *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit hæreticum jam in foro externo ab Inquiſitoribus abſolutum? fol.*69.

21. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit hæreticum negativum convictum, ac brachio ſæculari à Judicibus fidei traditum? fol.*72

22. *An valida ſit abſolutio ab excommunicatione data per Inquiſitorem hæretico fictè converſo? fol.*75.

23. *An ille, qui hæreſes aliquas Inquiſitori manifeſtavit, ſuppreſſiquibuſdam aliis inculpabiliter per abſolutionem ab expreſſis obtentam, abſolutus maneat etiam à tacitis? fol.*78.

24. *An, qui ſcienter hæreſes aliquas Inquiſitori tacuit, ab excommunicationibus contractis propter expreſſas, abſolutus ſit? fol.*80.

25. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit hæreticum, qui inquiſitus fuit in S. Officio, ſed quia nec convictus, nec confeſſus, fuit liberatus; Ubi etiam de illo, qui in S. Officio judicialiter depoſuit, ſed non eſt adhuc abſolutus? fol.*83.

DI-

Digitized by Google

DISCEPTATIO II.

Quid poſſint Epiſcopi , Inquiſitores , ac Superiores Regularium , quantùm ad Sacramentalem abſolutionem ab hæreſi extrà neceſſitatis articulum ? fol.85.

SECTIO 1. *An Epiſcopus Sacramentali in foro abſolvere poſſit ab excommunicatione in hæreticos lata ? fol.*85.

2. *An Inquiſitores in foro Sacramenti Pœnitentiæ ab excommunicatione in hæreticos lata abſolvere poſſint ? fol.*88.

3. *An Prælati , & Superiores Regularium exemptorum abſolvere poſſint ſuos Subditos in foro conſcientiæ , ab excommunicatione in hæreticos lata ? fol.*91.

DISCEPTATIO III.

De Confeſſariorum poteſtate, quoad abſolutionem ab hæreſi, ex vi Jubilæi, nec non Bullæ Cruciatæ . fol.94.

SECTIO 1. *An Confeſſarius quilibet approbatus ex vi Jubilæi , ab excommunicatione in hæreticos lata abſolvere poſſit ? fol.*95.

2. *An Confeſſarius quilibet approbatus ex vi Bullæ Cruciatæ abſolvere poſſit ab excommunicatione in hæreticos lata . fol.*98.

DISCEPTATIO IV.

De Sacramentali abſolutione Apoſtatarum, Schiſmaticorum, Fautorum Hæreticorum , ac legentium libros prohibitos . fol.101.

SECTIO 1. *An Confeſſarius quilibet Apoſtatas à fide abſolvere poſſit ? fol.*101.

2. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Schiſmaticos ; ſaltèm purè externos ? fol.*104.

3. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit credentes , receptatores, & defenſores hæreticorum ? fol.*108.

4. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Laycos cognoſcentes de crimine ſuſpicionis hæreſis ? fol.*112.

5 *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit legentes abſque debita licentia libros hæreticorum continentes hæreſim , vel de Religione tractantes ? fol.*122.

6. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit legentes libros hæreticorũ non tractantes de Religione , nec hæreſim continentes libros aliorum Infidelium , nec non Catholicorum prohibitos , non ex cauſa hæreſis ? fol.*127.

7 *An*

Digitized by Google

7. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ſuadentem aliquem ad legendum abſque licentia hæreticorum libros tractantes de Religione, vel hæreſim continentes, & lectionem eorumdem audientem? fol.*132.

DISCEPTATIO V.

Quibus pœnis plectendi ſint Confeſſarii abſque facultate abſolventes ab hæreſi, & quid hujuſmodi abſolutio valeat. fol 134.

SECTIO 1. *An Confeſſarius ſine juriſdictione abſolvens ab excommunicatione in hæreticos lata puniendus ſit, quibuſque pœnis? fol.*135.

2. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab excommunicatione, quam incurrit Confeſſarius abſolvens ſine juriſdictione ab excommunicatione in hæreticos lata? fol.*137.

3. *An Confeſſarius ex ignorantia abſolvens ab excommunicatione in hæreticos lata, prædictas pœnas incurrat? fol.*140.

4. *An Confeſſarius abſolvens ſcienter, & præſumptuosè ab hæreſi abſque juriſdictione, ſed non prætextu privilegiorum, prædictas pœnas incurrat? fol.*144.

5. *An abſolutio ab hæreſi data per Confeſſarium carentem juriſdictione ſit nulla? fol.*145.

DISCEPTATIO VI.

De facultate Confeſſariorum pro abſolutione ab hæreſi in articulo, periculoque mortis, necnon caſibus neceſſitatis. fol. 149.

SECTIO 1. *An Confeſſarius quilibet in mortis articulo ab hæreſi, excommunicationeque in hæreticos lata abſolvere poſſit? fol.*149.

2. *An Hæreticus pœnitens in mortis articulo, etiam ab hæretico Sacerdote abſolvi poſſit? fol.*152.

3. *An hæreticus pœnitens in mortis articulo conſtitutus, omnique alio Sacerdote deſtitutus, confiteri debeat ſua crimina Sacerdoti hæretico? fol.*154.

4. *An Laycus in mortis articulo abſolvere poſſit ab excommunicatione in hæreticos lata? fol.*156.

5. *An Sacerdos quilibet in mortis articulo abſolvere poſſit hæreticum, etiamſi præſens ſit Superior, qui habet facultatem abſolvendi ab hæreſi? fol.*159.

6. *An*

6. *An Hæreticus in mortis articulo conſtitutus, ſi poſſit, teneatur mittere ad Inquiſitorem, vel alios Superiores pro abſolutione? fol.* 162.
7. *An Hæreticus perpetuo impedimento ægritudinis, paupertatis, ſervitutis, vel hujuſmodi detentus, ne poſſit adire Summum Pontificem, à Confeſſario abſolvi poſſit? fol.*166.
8. *An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit hæreticum, nedùm in articulo, ſed etiam in periculo mortis conſtitutum? fol.*156.
9. *An Hæreticus in mortis articulo abſolvendus ſit cum aliquibus conditionibus? fol.* 168.
10. *An Hæreticus in mortis articulo abſolutus, ſi convaluerit, coram Superiore comparere teneatur? fol.*174.
11. *Qualis eſſe debeat praxis Confeſſarii in abſolvendo hæreticum pœnitentem? fol.*177.
12. *An Hæreticus ſacramentaliter abſolutus in mortis articulo, poſſit poſteà in foro exteriori per Judices Fidei puniri? fol.*179.

LUCER-

Digitized by Google

Digitized by Google

LVCERNA CONFESSARIORVM,

Ut lumen videant in abſolvendo ab excommunicatione lata in primo Canone Bullæ Cœnæ, nimirùm in Hæreticos, eis credentes, fautores &c.

DISCEPTATIO I.

Quali gaudeant facultate Confeſſarii ab Ordinariis approbati pro abſolutione ab hereſi formali, ac excommunicatione ipſi annexa, extra caſum neceſſitatis.

QVoniam de Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ſpecialis eſt difficultas, ad ſimplices Confeſſarios priorem hanc arctamus diſceptationem; uti etiam ad neceſſitatis caſum, eo quod Bulla Cœnæ non eodem modo de Confeſſariorum facultate in mortis periodo, ac extra illum loquitur.

SECTIO I.

An Confeſſarius quilibet approbatus abſoluere poſſit ab hæreſi purè mentali.

VIdetur Gloſ. *Clem.* 1. *§. Verum, de hæret.* Ancharano, Imolæ, Boniſac. de Vital. *ibid.* Felin. *in cap. fin. de hæret.* Bald. *in l. ſi quis C. de Epiſc.* ferèque omnibus Canoniſtis, quos refert, ac ſequitur Royas *p. pr.*

de hæret. nu. 246. quod non, propter ſequentia motiva. *Primò*, quia in *Clem. de ſtat. Monach.* §. *Quia verò*, fertur excommunicatio in Monachum Curiam Principis petentem cum intentione accuſandi ſuum Prælatum, damnumve inferendi illi, vel ſuo Monaſterio per ſequentes voces; *Quod ſi, in ſuis Prælatis, aut Monaſteriis damnum aliquod inferant, ad dictas Curias ſe conferre præſumpſerint, excommunicationis ſententiam eos incurrere volumus ipſo facto.* Anathematis gladio feriuntur Inquiſitores, qui ex odio, amore, ſpeve lucri, quid omiſerint, vel commiſerint in cauſis fidei. *Clem. Multorum*, §. *Verum quia*, *de hæret.* Eccleſia devotionem, attentionemque horarum in recitatione præcipit, *cap. Dolentes de celebrat. Miſſ.* ibi, *Diſtinctè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſè celebrent pariter, & devotè*; loquitur autem Summus Pontifex de attentione interna, ut eleganter notat Fagnanus ibidem. Quapropter actus interiores, mentaleſque ſunt ab Eccleſia cenſuris punibiles, undè ceſſat ratio, ob quam hæreticus mentalis cenſendus non ſit excommunicatus; ſuppoſito autem, excommunicationis vinculo innodari, non omnis Confeſſarius illum abſolvere poteſt.

Secundò. Hæreſis propriam conſumationem, complementumq; habet in mente; ſicuti enim fides virtus eſt, quæ interiùs perficitur, ſic infidelitas interiori in diſſenſu, voluntatis ex conſenſu, completur, perficitur. Culpæ conſummatæ, ſuaq; in linea perfectæ, tota pœna à lege taxata debetur, quoniam modus pœnæ congruit cum modo delicti. Cur ergo hæreticus internus excommunicationis cenſuram in hæreticos latam non incurrit? Quare mentalis hæreſis abſolutio per Bullam Cœnæ Summo Pontifici reſervata non erit?

Tertiò. Summus Pontifex reſervare poteſt ſibi hæreſim purè mentalem, uti & alios internos actus, per ea, quæ tradunt Theologi in materia de Pœnitentia, & Cajet., Serra, aliiq; 2. 2. *qu.* 11. *art.* 3., atq; ideò negari non poteſt, quin mentalis hæreſis viſibili Eccleſiæ judicio ſubſit? Nonnè de facto Judices fidei de ipſa cognoſcunt, dum ſuper intentione interrogant, ac torquent? An non præcipit Eccleſia virtutum actus, vitiaq; prohibet, tametſi in corde conſumetur? Num in votis non diſpenſat, quamvis de rebus ſpiritualibus? Attendatur etiam Caſſiodorus *ſuper Pſalm. Dixit inſipiens* exprimens juriſdictionem Eccleſiæ ſuper actibus purè internis, vocibus iſtis. *Occultam culpam ſequitur aperta percuſſio, ut magis exterioribus interiora puniantur, & cor publicè corruat, quod latenter peccabat.*

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet approbatus ab hæreſi purè interna, mentaliq; abſolvere poteſt. Archiepiſc. Florent. *in Sum. part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 4. Sylveſter, *v. excommunicatio* 7. *à num.* 2. Tabien. *eod. v. caſu*

4. à

4. *à num.* 4. Cajet. Bannes, Aragon, Serra, Sylujus, & Philippus à Sanctiſs. Trinit. cum aliis 2. 2. *qu.* 11. *art.* 3. Farinac. *de hæreſi queſt.* 192. *num.* 60. noſter Souſa *in Aphoriſ. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 9. Carena *part.* 2. *tit.* 2. *nu.* 45. Joan. Maria Bertin. 2. 2. *qu.* 11. *art.* 4. *contemplat.* 2. Riciull. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 10. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *in Can. p. qu.* 24. ut tot alios mittam. Veritatem hanc illuſtro ſequenti diſcurſu. Quamuis Eccleſia ſibi reſervare poſſit crimina purè interna, quoniam non minus requiritur juriſdictio in Confeſſario ad abſolvendum criminibus ab iſtis, quàm ab externis; Superior autem inferiori facultatem hanc, & juriſdictionem denegare poteſt; nec illam de ſe habet Confeſſarius inferior, ſed convenienti ordine ad ipſum à Prælatis deſcendit; tamen Summus Pontifex hactenus non conſuevit abſolutionem ab hæreſi mentali, aliiſuè criminibus purè internis ſibi reſervare. Riciull. & alii ex citatis. Neqſ talis reſervatio expedit; quia hoc eſſet iniicere laqueum intolerabilem conſcientiis timoratis, cum ſæpè ingorent, aut dubitent homines, an mentali aliqua in oppugnatione contra fidem conſenſerint; & reſervatio ad hoc, ut prudenter fiat, neceſſitatem coercendi, aut adhibendi remedium ſpeciale exigit, quæ ad peccata merè interna communiter non reperitur, etenim, ſi peccator revera non corrigatur, & emendetur, citò ad actum externum, cujus ratione reſervari poteſt, progredietur; præterquam quod hujuſmodi reſervatio eſſet inutilis, cum non poſſit indè Prælatus fieri cautior, & diligentior in gubernatione gregis ſibi commiſſi; nec non à ſuavi Eccleſiæ gubernatione aliena; Unde jure meritò illam acriter reprehendit Sotus 4. *diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 5., & videri poſſunt Bannes, Serra, Riciullus, *ubi ſuprà*, ac Nugnus *in addit. ad* 3. *par. qu.* 8. *art.* 5. *dub.* 10. Suppoſito, quòd ſub generali hæreſis reſervatione non cenſeatur reſervata merè interna, mentaliſq; non video, cur Confeſſarius quilibet ab ipſa abſolvere non poſſit. Progrediamur ulteriùs, magiſq; diſcurſum dilucidemus. Summi Pontifices regulariter de facto ſibi non reſervant, niſi crimina habentia cenſuram annexam. D. Anton. 3. *par. tit.* 17. *c.* 17. *§.* 2. Cajet. *in Sum. v. Caſus*. Nugnus *loco cit.* Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 14. hæreſim verò mentalem cenſuram non poſſe annexam habere haud difficile ſuaderi poteſt. Excommunicatio ad forum viſibile, externumq; pertinet, ut perdoctè Angelicus *in* 4. *diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 2. *quæſt. p.* per ſequentes voces. *In foro conſcientiæ cauſa agitur inter Hominem, & Deum, in foro autem exterioris judicii cauſa agitur inter Hominem, & Hominem, & ideò abſolutio, vel ligatio, quæ tantum Hominem obligat quoad Deum tantùm, pertinet ad forum pœnitentiæ; ſed illa, quæ hominem obligat comparatione ad alios Homines, ad forum publicum ex-*

Digitized by Google

terioris judicij pertinet: *Et quia per excommunicationem Homo à communione fidelium ſeparatur, ideò excommunicatio ad forum exteriorem pertinet*, *&* *illi ſolùm poſſunt excommunicare, qui habent juriſdictionem in foro judiciali.* Non cadunt viſibili ſub Eccleſię judicio, juriſdictione, gubernationevè, delicta per ſe occulta, actus purè mentales, qualis eſt hęreſis interior. Nonnulli hoc oſtendere conantur ex *cap. Sicut tuis*, *de Simon.* per verba illa Innoc.III. *Quod ſi eorum exceſſus eſſet Eccleſiæ manifeſtus, quæ non judicat de occultis, pœna eſſent canonica feriendi*: At Textus iſte nimis, idcircò nihil probat; cum ibi ſermo ſit de ſimonia occulta ſolùm per accidens, ſupponaturque factum, per antecedentem contextum. *Illos autem, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt; in tantùm conſtat eſſe culpabiles, quod ſi eorum exceſſus &c.* Appoſitè adducitur *Can. Cogitationis*, *de Pœnit. diſt.p.* deſumptus ex lege civili, *ff. de Pœnis*: *Cogitationis pœnam nemo patiatur*; ſimileque habetur *in Can. Cogitatio eadem*, ubi dicitur, *Cogitatio non meretur pœnam lege civili, cum ſuis terminis contenta eſt*; ſuper quo text. gloſ. *Voluntas non punitur ab Homine, cum ſuis finibus eſt contenta*; cujus rationem aſſignat Auguſtinus *tract. 6. in epiſt. Ioann. ante medium*, inquiens: *Intus vide, nam Homo judicare non poteſt, quem videre non poteſt*. Eccleſia non penetrat interiora cordis humani, ſi quidem cognitio iſta eſt propria Dei; ita vt neque Angelo illam communicaverit per ea, quę tradunt noſtri Theologi in materia de Angelis *p.p.qu.57.art.4.* & inter cęteros Patres ſcriptum reliquit Titus Boſtrorum Epiſcopus *ad cap. 24. Evang. Lucæ*. Quapropter concludendum, Eccleſiam non habere juriſdictionem quoad Cenſuras Eccleſiaſticas in actibus purè internis. Omnia iſta firmaverat Cajet. *loco citato* ex 2. 2. dum ſcripſit, *Occulta tamen per ſe, ut actus interiores ſoli, ab Eccleſiæ judicio, & cenſuris aliena ſunt: Et ratio eſt, quoniam Homo videt, quę patent; Deus autem intuetur cor, ut dicitur p. Reg. 16. Et propterea Apoſtolus prohibet horum judicium, dicens 1. ad Corinth. 4. Nolite ante tempus judicare, quouſque veniat Dominus, qui manifeſtabit conſilia cordium.* Sed ante Thomam de Vio, Thomas Aquinas docuerat, *De his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt judicare: judicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus motibus, qui latent, ſed ſolùm de exterioribus actibus, qui apparent*; qua ex doctrina infert prçter humanam legem, neceſſariam fuiſſe Divinam, *part. 2. quæſt. 91. art.4.* hocque idem puto voluiſſe Urbanum II. *in epiſt. Dominico Patriarcha Granden. De manifeſtis quidem loquimur: ſecretorum autem, & cognitor Deus, & Iudex eſt.*

Ad primum; præmittimus doctrinam Cajetani *ubi ſupra*, qua poſteà uſi ſunt Recentiores; interiorem actum biſariam conſiderari poſſe, & prout ſolo in corde naſcitur, conſumatur, extraque non procedit, ſecundùm quam conſiderationem ab Eccleſia non judicatur, & quatenùs cum exte-

exterioribus actibus conjungitur, tanquam cauſa omiſſionis, vel commiſſionis illorum, ſicuti quandò quis ex odio committit, vel omittit aliquid extra ſivè locutionem, ſivè operationem, quo pacto ſubeſt Eccleſiæ juriſdictioni, *ex Clem.* 1. *de ſtat. Monach.* non habetur puniri animum internum accuſandi ſuum Prælatum, inferendivè damnum ipſi, vel Monaſterio; at aditum externum, poſito tali animo; hinc, ſi animum ſuum exteriùs non manifeſtaret, excommunicationem Monachus non incurreret. Verum eſt tamen, quòd olim ſufficienter animum manifeſtabant præſumptivè ex nimia frequentia adeundi Curiam Principis. Ulteriùs reſpondeo, non ferri cenſuram in animum præcisè offendendi Abbatem, vel Monaſterium, ſed etiam in aditum ad Curiam Principis, itavt duo neceſſaria videntur, ut hæc pœna incurratur, ſcilicet, quòd intraverit Monachus Curiam Principis, & quòd animo damnificandi, ut teſtantur Imol *in Clem. p. num.* 25 *de ſtat. Monach.* Gloſ. & Bonifac. de Vitalinis, qui §. *Quia verò num.* 10. ſcribit, *Secundum gloſ. gen. & omnes Textus iſte requirit duo. Primò, quòd ſint in Curia Principum. Secundò, quòd illuc acceſſerint cauſa damna inferendi ſuo Superiori, vel Monaſterio, ita quòd alterum tantùm non ſufficeret, arg. l. Si hæredes plures, ff. de cond. inſtit.* Satisfacit alteri text. Cajet. loc. cit. *Non excommunicatur actus interior ſolus, ſed actus exterior, puta impoſitio, vel omiſſio ex interiori odio, vel amore procedens*, quapropter in excommunicationem non inciderent Inquiſitores, ſi actus odii, vel amoris aliquo ſigno manifeſtati non ſint. Eccleſia præcipit actum mentalem, ſcilicet attentionem in recitatione Horarum Canonicarum, at dumtaxat indirectè, in quantùm cauſa eſt actus externi, influitque in illum, imperat enim orationem veram, quæ cum non poſſit eſſe abſque interiori attentione, indirectè præcipitur attentio, prout moraliter informat, conſtituitque in ratione actus moralis. Vel dicas, Eccleſiam ſolam externam devotionem, ac attentionem, non verò interiorem præcipere, ut ſentiunt Sylveſter, & alii apud Serram *p.* 2. *qu.* 96. *art.* 3. *dub. unico*, latè Fagnanus *in dicto cap. Dolentes*, ubi adhærere videtur Canoniſtis.

Ad ſecundum, eſto hæreſis mentalis interiùs, ac in foro Dei conſummata ſit; non tamen eſt perfecta in faciem Eccleſiæ, ac in foro viſibili, exteriorique, niſi aliquo manifeſtetur ſigno: Nec Eccleſia judicat, aut punit actum aliquem, niſi ipſius in faciem ſit completus, cum actus juriſdictionis coercivæ pro actibus purè internis non feratur, nec occulta, ſeù latentia peccata vindictam habeant, *cap. Chriſtiana* 32. *qu.* 5. Fruſtrà conderetur lex pro interioribus actibus, cum legiſlator ad ipſos compellere non poſſit. ut innuit D. Th. *p.* 2. *qu.* 100. *art.* 9. ubi etiam docet, quòd lex humana non punit illum, qui habet voluntatem occidendi, & non occidit, neque attendit modum virtutis conſiſtentem in hoc, ut aliquis

operetur

Digitized by Google

lex humana non punit illum, qui habet voluntatem occidendi, & non occidit, neque attendit modum virtutis conſiſtentem in hoc, ut aliquis operetur volens, vel eligens, & propter hoc eligens, in quo importatur duplex motus interior, ſcilicet voluntatis, & intentionis.

Ad tertium, jam diximus, Eccleſiam poſſe reſervare ſibi peccata purè interna, at de facto non eſſe poſitam talem reſervationem, neque expedire. Dum autem ex poſſibilitate reſervationis iſtius infertur, cadere actus internos ſub viſibili Eccleſiæ judicio, non rectè arguitur, quia, ut doctè Serra 2.2. *qu.*11. *art.*3. reſervare peccata pertinet ad Papam, ſupremum Judicem in foro conſcientiæ, cui reliqui ſunt ſubordinati, ſicque aliorum juriſdictionem poteſt coarctare; non autem pertinet ad ipſum, ut Judicem ſuperemum in judicio exteriori, qua ratione ad Pontificem attinet excommunicatio. Certum eſt, Sacramentalem juriſdictionem intra terminos poteſtatis, gubernationiſque viſibilis non eſſe ſitam, & pertinere ad forum Dei, qui etiam de internis judicat. Virtutum actus purè interni, in ſe ipſis, ac ſecundum ſe conſiderati, non ſunt juriſdictionis viſibilis Eccleſiæ, ſed dumtaxat per ordinem ad externos, quorum ſunt conditiones, & formæ, quæ auctoritas eſt indirecta. Videri poſſunt Sotus *lib.*10. *de juſt. & jure qu.*5. *art.*5. & Serra *part.*2. *qu.*96. *art.*3. *dub. unico*. Omnis humana poteſtas, ſive juriſdictio in hominum fundatur ſocietate, quæ materialis, ſenſibiliſque eſt; idcircò conveniens videtur, ut ſolùm ad humanas actiones, quatenùs in exteriorem materiam tranſeunt, ſignoque aliquo externo manifeſtantur, ſe extendat: Et quod de virtutum actibus, idem de vitiis, & peccatis per ordinem ad prohibitionem docemus. Scitè ſcribit Vincentius Ferrer. 2.2. *quæſt.*15. §.8. *num.*25. per hæreſim purè mentalem Papam deponi non poſſe, quia non eſt de foro judiciali Eccleſiæ talis hæreſis. Ex hoc, quod Judices fidei interrogent, ac torqueant ſuſpectos de hæreſi ſuper intentione, ac credulitate, ſequitur ſolùm Eccleſiam jus habere in actum internum manifeſtatum; propter actum namque exteriorem, de quo Judex præſumit, quòd ſit imperatus ab interiori, inquiri poteſt de intentione, voluntate, ſcientia, ignorantia, & credulitate. Diſpenſatio in votis non cadit ſuper votis mentalibus, & internis præcisè, ſed quatenùs juriſdictioni, & clavibus ipſius Eccleſiæ per exteriores actus ſubiiciuntur. Caſſiodorus autem loquitur de punitione in Dei judicio.

SE-

SECTIO II.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Hæreticum purè externum.

VIdetur, quod non Cajetano 2.2.*quæſt.*12.*art.pr.* §*ad* 2. & *quæſt.*94. *art. pr.* ubi aſſerit, illum, qui metu ductus, verbo tantùm, aut opere externo, non mente, aliquid contrarium fidei profitetur, eſſe ſubjectum juribus Dei, & Hominum contra Hæreticos, ideòque excommunicatum, quæ ſententia fulciri poteſt. *Primò*. Hæreticus purè externus, ille nimirùm, qui metu, vel vi, ſalva interiori fide in corde, exteriùs illam negat, verè Hæreticus eſt, ſicut ille, qui furatur, vel occidit, verè eſt fur, aut homicida, ſivè id fecerit vi, metuvè, ſivè malitia. Vera autem hæreſis, dummodò cognoſcibilis ſit, judicarique poſſit ab Eccleſia, connexam habet excommunicationem, quia excommunicantur Hæretici omnes, & qui omne dicit, nihil excludit, *L. Julianus, ff. de leg.*3. *cap. Solitę* §. *nos de majorit.* & *obed. L. Quicumque* §. *Prætor, ff. de in jus vocan.* Hæreſis, cui excommunicatio annexa eſt, Summo Pontifici in Bulla Cœnæ reſervatur, nec ab illa abſolvere poteſt Confeſſarius omnis.

Secundò. Eccleſia pœnas ſuas imponit pro actibus tantùm externis, de quibus ſolùm judicat, teſte Summo Pontifice Innoc. III. *in epiſt. Decano Belvac.* & habetur *cap. Tua nos, de Simon. Nobis datum eſt de manifeſtis, tantummodò judicare*: Eſt enim Eccleſia ſenſibilis, & ſicut non gaudet poteſtate, niſi in homines ſenſibiles, animaſque corporibus unitas, ita non punit, niſi actus externos. Igitur, qui exercet actus externos hæreticales, in conſcientia pœnas contra Hæreticos latas incurrit, & eſt excommunicatus excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Tertiò. Judices fidei de facto puniunt, tanquam veros Hæreticos, illos qui in hæreticales actus externos prodierunt, non obſtante, quòd negent intentionem, ac credulitatem hæreticalem. Et ſi Eccleſia pœnas ſuas reſtringeret ad externos actus procedentes ex hæreſi in intellectu, falſitatibus, erroribuſque multis ſe exponeret, quoniam multotiès puniret actus externos ab interiori hæreſi non provenientes, & aliquandò parceret hæretico interno, dum fateretur non habuiſſe errorem in intellectu, ſed ex metu, vi, aliovè motivo adactus, facta vè externa hæreticalia proceſſiſſe.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet approbatus abſolvere poteſt ab hæreſi purè externa. D. Anton. *part.*2. *titul.*12. *cap.*16. §. *pr.* Sylveſter *verb. Apoſtaſia qu.p.* Bannes 2.2.*qu.*11.*art.*4. *qu.*2. *concluſ.*3. *argum.*2. Serra *ibid.* *art.*

art. 3. Sylvius, Joan Maria Bertinus, aliique Theologi Commentatores Sancti Doctoris, Souſa *lib.pr. Aphoriſm. cap.* 15. *num.* 3. Tabiena *v. hæreticus num.* 9. Franciſcus Ghetius, *in Theſaur. animæ eodem v.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *in Can.* 9. *quæſt.* 14. Pegna *part. pr. Direct. com.* 24. Vincentius Ferrer. 2. 2. *qu.* 14. *§.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 143. Salelles *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 59. & communiter alii. Non niſi ratione excommunicationis hæreſis ſervata in Bulla Cœnæ cenſetur, nec purè externa excommunicationem habet annexam. Cenſuræ, aliæque pœnæ delictum aliquod afficientes, dumtaxat ob delictum verum, perfectum, conſummatumq; contrahuntur, hæreſis autem ſine defectu in intellectu, & voluntate perfectione propriæ lineæ caret; ſi quidem hęreſis eſt error in fide cum pertinacia. *Cap. Qui in Eccleſiam* 24. *qu.* 3. Archidiac. *in cap. Hæreſis ead. cauſ. & qu.* Sylv. *v. hęreſis num.* 9. Fagnan. *Cap. Damnamus, de Summ. Trinit.* quapropter ad rationem hęreſis duo concurrunt, error in intellectu, hęreſis initium; pertinaciaque in voluntate, ejuſdem complementum; neque hęreſis conſiſtit in dictis, vel factis, at mente, & voluntate. Hęreſis ſpecies eſt infidelitatis, ad eos pertinens, qui Chriſti fidem profitentur, ſed ejus dogmata corrumpunt, monitore Sancto Pręceptore 2. 2. *qu.* 11. *art. p.* Infidelitas ſubjectivè in intellectu reſidet, ſicut & fides, cui contrariatur, prout nunc ſuppono ex iis, quę tradunt Theologi in materia de fide; quibus ſuffragantur Divus Thomas 2. 2. *qu.* 2. *art.* 9. & Auguſtinus *in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap.* 2. *tom.* 7. dum definiunt credere, quod ſit *cum aſſenſu cogitare*, ſumpto actu iſto, non pro operatione cogitativę, at pro intellectus conſideratione cum quadam inquiſitione. Niuſquam igitur perfecta erit hęreſis abſque errore in intellectu; quod etiam indicavit Auguſtinus, *lib. de hæreſibus ad Quod vult Deum, paulò poſt initium*, ſcribens, *Non enim omnis error hæreſis eſt, quamvis omnis hæreſis, quæ in vitio ponitur, niſi errore aliquo hæreſis eſſe non poſſit.* Hęreticus non eſt, cujus peccato fides non amittitur; virtuſque iſta non deperditur ab eo, qui corde firmiſſimè credit totam noſtram fidem, & quidquid Deus revelavit, qualis fuit Marcellinus Summus Pontifex, ſuppoſita hiſtoria illa admodum dubia, de qua Baronius *tom. p. Annal. Eccleſiaſt. circa annum Domini* 302. videlicet, quòd Pontifex pręfatus, Diocletiani, & Maximiliani Imperatorum temporibus, grana thuris ſuper prunas imponere compulſus fuerit, provt ex Nicolao Papa refertur, *Can. Nunc autem diſt.* 21. Caſu, quo coactio, & compulſio ad hujuſmodi actus externos hęreticales eſſet abſoluta, ut ſi quis ligatus, & penitùs renitens cogeretur, non per ſe, at per alios genua Mahumeto flectere, aut circumcidi, aut aliquid hujuſmodi horrendum patrare, talis nedùm hæreticus non eſſet, ſed neque peccaret, ex defectu voluntarii, *Cap. Majores de baptiſ. §. ult.* ibi, *Sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui*

contra-

Digitized by Google

contradicens penitus, & reclamans, thurificare idolis cogitur violenter; & hoc roborat Pegna, vbi ſupra, *ex lib. 2. Machab. cap.* 6. ubi, cum ſermo eſſet de vi, quę Judęis inferebatur juſſu Antiochi, dicitur. *Ducebantur autem cum amara neceſſitate in die natalis regis ad ſacrificia, & cum liberi ſacra celebrabantur, cogebantur hædera coronati Libero circuire.* Verum loquendo de coactione mixta, quamvis peccet committens factum hereticale, aut hęreticale verbum proferens, adhuc hæreticus non eſt, ſi in corde fidem retineat, ut diximus, quamvis lethaliter peccaret. Illuſtrat rem Sanctus Raymundus de Penniafort *in Sum. lib. 9. de Apoſtatis §. 7.* ubi movet aliquas queſtiones. *Multi Chriſtiani reſident in quibuſdam Civitatibus Saracenorum, & maximè illi, qui vocantur Atrones, aliquis illorum profitetur Mahumetum nuncium eſſe Dei, ſicut & Saraceni faciunt ad laudem, & honorem illius, quem colunt, & venerantur pro Sancto. Alius oſculatur ſepulcrum Almeadi, quaſi ex reverentia, ac ſi eſſet Sanctus. Alii in publico gerunt ſe pro Saracenis, & in occulto pro Chriſtianis. Nunc quæro, Utrum iſti, & ſimiles ſint Apoſtatæ, vel Hæretici judicandi?* Attende reſponſum Sacri Pœnitentiarii. *Si vero profitentur hoc verbo tantum, vel faciunt propter metum, ſed in corde à nullo deviant à fide, nec dico eos Apoſtatas, nec Hęreticos, nec Excommunicatos, peccant tamen mortaliter, quantuſcumq; fuerit metus.* Ex diſcrimine reperto inter forum Sacramenti Pœnitentię, ac forum Inquiſitorum veritas iſta corroborari poteſt. Iſte in præſumptionibus fundatur, præſumitur namq; diſſenſum habuiſſe internum, illum, qui ore, opereq; contra fidem deliquit, cum ex actibus externis regulariter mentalis error arguatur, ex fructu arbor agnoſcatur, & ex factis, geſtiſq; exterioribus animus, nec non voluntas intelligatur. *L. Nutu ff. de legat. Cap. Vidua, de Regular.* ubi decernitur, novitiam, quæ ſponte ſe ingerit in actibus profeſſarum, per hoc cenſeri profeſſam, *licèt Sacramento firmare velit, eo tenore velamen ſibi impoſuiſſe, ut deponere poſſet*; taliſq; præſumatur animus, qualia ſunt facta, *Cap. Exiſtimant* 11. *q.* 3. Unde tali ex præſumptione aliquando puniuntur in foro judicialii tamquam hęretici, aliqui, etſi negent intentionem, credulitatemq; hęreticalem; ut plurimùm tamen ſolummodò pœnis ſuſpectorum de hęreſi plectuntur. Aliter eſt in foro Sacramenti Pœnitentię, in quo non habetur pręſumptio iſta, ſed creditur pęnitenti dicenti, Catholicam intentionem ſemper ſervaſſe, propterea Confeſſarius non poteſt, aut debet, talem pręſumere hęreticum, & excommunicatum, ſed abſolvere tenetur, admonendo tamen ipſum, abſolutionem illam non ſuffragari eidem, externo, judicialiq; in foro, ſed adhuc puniri poſſe in S. Officio, caſu, quo de hęreſi externa ſit denunciatus, accu-

ſatus, vel inquiſitus. Poſtremò aſſertum ſuadeo ex doctrina Angelici Pręceptoris 2. 2. *q.* 12. *art. pr. ad* 2. vbi chartę committit. *Dicendum, quod ad Fidem pertinet, non ſolùm credulitas cordis, ſed etiam proteſtatio exterior Fidei per exteriora verba, & facta, nam confeſſio eſt actus Fidei, & per hunc etiam modum, quędam exteriora verba, vel opera ad infidelitatem pertinent, in quantum ſunt infidelitatis ſigna, per modum quo ſignum ſanitatis ſanum dicitur.* Actus igitur exterior hęreſis dicitur, non quia hęreſis ſit, ſed quia ab hęreſi in intellectu exiſtente denominatur: Cum ergo in caſu noſtro hæreſis mentalis non exiſtat, propter actus hæreticales exteriores hæreticus denominari nequit; idcircò Confeſſarius quilibet abſolvere poterit committentem actus iſtos abſq; errore mentali; ex conſequenti illos, qui propoſitiones hæreticas effutiverunt, Sanctorum Imaginibus illuſerunt, carnes diebus prohibitis comederunt, Mahumeto cultum, & reverentiam exhiberunt, ſi talia fecerint, aut metu compulſi, aut ſpeducri adducti, ut ira, aliavè paſſione quacumq; commoti, nullum in animo errorem, ſed priſtinam Fidem rectam tenentes. Videatur Archiepiſc. Florent. *ubi ſupra.*

Ad primum patet reſponſio ex præhabitis; ſolùm aſſignandum ſupereſt diſcrimen inter hæreſim, ac furtum, homicidium, ſimiliaq; peccata. Homicidium, furtum, adulterium, periurium, & hujuſmodi, exteriùs conſumantur; in homicidio namq; externo eſt vera homicidii ratio, nimirum occiſio hominis abſq; legitima auctoritate; in furto externo vera furti ratio, ablatio rei alienæ, invito domino. Undè quamvis, quis non occidat hominem ex affectu occidendi illum, ſed tantum voluntariè, ex obedientia ad dominum, qui ſervo juſſit illum occidere, homicida eſt; & ſi quis adulteretur, non ex affectu luxuriæ, ſed ex alio motivo, adulter eſt. At hæreſis tantùm interiùs conſumatur, & perficitur, dicta autem; factavè exteriora, intantum ſunt hæreſis, inquantum ſignificant hęreſim reſidentem in intellectu, ſicut urina dicitur ſana, in quantum ſignificat ſanitatem animalis, non quia intrinſecè in ipſis ratio hereſis reperiatur; quando vero non procedunt ex hæreſi in intellectu reſidente illam non ſignificant, ut eleganter Vincentius Ferre. *loco cit. n.* 9.

Ad ſecundum dicendum, Eccleſiam non judicare de actibus internis directè, & per ſe; tamen illos punit, quatenus ſunt cauſa, vel occaſio actuum externorum, juxtà doctrinam Cajetani traditam præcedenti in ſectione: Unde *in Cap. Dolentes de celebrat. Miſſarum*, præcipit attentionem, quatenùs in actum externum influit, punit actus odii, amoris, & avaritiæ in Inquiſitore, *ex Clem. p. de hæret.*, in quantum ſunt cauſa omiſſionis, vel commiſſionis in cauſis Fidei; tunc enim actus interni ſenſibiles fiunt, & judicio Eccleſiæ

ſubie-

Digitized by Google

ſubjecti. Fagnan. *in Cap. Dolentes, de celebrat. Miſſ.* Nec eſt verum, quod judicium ferat præciſè de externis, ſed judicat de iſtis, quatenus ex affectu interiori procedunt, ſignaq; ſunt actuum internorum. Hinc Serra *loco cit. Pronunciare vero hæreſim non eſt excommunicationi ſubjectum, niſi quatenus procedit ab hæreſi interiori, cum talis excommunicatio lata ſit contra Hæreticos, & hæreſis principaliter, & eſſentialiter conſiſtat in intellectu.* Videatur etiam Ferre. ſæpè citatus, & doctrina hæc magis dilucidabitur per ſequentes Sectiones, in quibus manifeſtum fiet ſigna externa non conſtituere aliquem Hæreticum, niſi quatenus expreſſiva ſunt interni conceptus.

Ad tertium, ex parte ſatisfecimus ſuprà, aſſignando diſcrimen inter tribunal Judicum Fidei, ac Sacramenti Pœnitentię: Solummodò addimus, quòd ſi ceſſaret præſumptio in foro judiciali erroris mentalis, committens facta, proferenſuè hæreticalia verba non puniretur tanquam Hæreticus, & de facto ſpontè comparentes, negantes hæreticam intentionem, quoniam ipſis creditur, hæreticorum pœnis non mulctantur; quinimò etiam rei inquiſiti, ac confeſſi de actibus hæreticalibus, ſi in tortura interrogentur ſuper intentione, & ſuſtineant Catholicam credulitatem, ſolum, ut ſuſpecti de hæreſi, non ut Hæretici, damnantur. Ad id, quod additur, dicimus, Eccleſiam non ſe exponere falſitati practicæ, ſiquidem, quando punit actus externos ab hæreſi interiori verè non provenientes, prudenter facit, ob præſumptionem, quòd hujuſmodi actus ex intentione hæreticali, malaq; credulitate imperentur; nec non prudentialiter agit, dum credit reis, verè hæreticis, horumq; pœnas mitigat, habendo ipſos tantum pro ſuſpectis, quia non levis eſt ad credendum, ſed cauſam accuratiſſimè examinat. Quòd verò ſpeculativè falſitati ſeſe exponat, hoc non facit, quoniam etiam virtutibus poteſt ſubeſſe falſum ſpeculativè.

SECTIO III.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hære,ſi externa, & interna ſimul, ſed occulta.

VIdetur Crouſers *in Reg. S. Franciſci cap. 7. lect. 4.* aliiſq; aſſerentibus; ob delicta omninò occulta non incidere aliquem in excommunicationem, ſuppreſſo nomine relatis à Suarez. *de Fide diſp. 21. ſect. 2. num. 3.*, & Diana *parte 6. tract. 6. reſol. 51.*, poſſe; quæ opinio comprobatur. *Primò*. Eccleſia non judicat de occultis per accidens. Nam in *Cap. Sicut tuis, de Simon.* dicitur. *Illos au-*

Digitized by Google

tem, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantum conſtat eſſe culpabiles, quòd ſi eorum exceſſus eſſet Eccleſiæ manifeſtus, quæ non judicat de occultis, pœna eſſent canonica feriendi; & ſermo habetur ibi de occultis per accidens, ut *ſect. pr.* docvimus. Multa alia jura ad hoc adduci poſſent. Ergo hæreſis occulta non ſubeſt Eccleſiæ viſibili judicio, & cenſuris, nec eſt reſervata Summo Pontifici.

Secundò. Ideò hæreſis purè interna, mentaliſq; reſervata non eſt, quia cognoſcibilis non eſt ab Eccleſia. Sed neq; externa occulta eſt cognoſcibilis in foro exteriori, quantum ſufficit, ut judicari poſſit, quandoquidem non poteſt cognoſci civiliter, ac modo forenſi; quid autem prodeſt cognoſcibilitas phiſica, & exterioritas, niſi poſſit in judicio, aut probari, aut judicari? Etiam purè mentalis aliquo modo cognoſcibilis eſt, cum per ſe illam poſſit Hæreticus aſſerere, nihilominus non eſt reſervata, nec cenſuram excommunicationis habet annexam. Itaq; idem erit dicendum de occulta.

Tertiò. Eccleſia nullo modo poteſt devenire ad ſententiam excommunicationis contra Hæreticum occultum; quia judicare non poteſt de incognitis. Unde rectè Auguſtinus *Hom.* 50. *de neceſſit. pœnitentiæ, poſt medium*: *Nos communione quemquam privare non poſſumus, quamvis probibitio bæc nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſpontè confeſſum, aut in aliquo, ſivè Sæculari, ſivè Eccleſiaſtico judicio nominatim, atq; convictum.* Igitur hæreſis occulta non ſubiacet Eccleſiæ judicio quantum ad cenſuras.

Reſpondeo. Non poteſt Confeſſarius quilibet ab Ordinario approbatus abſolvere ab hæreſi interna, ac externa ſimul, quamvis occulta. Divus Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 4. Sylveſt. *verb. Excommunicatio* 7. *excom.* 2. Cajet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. Bannes *art.* 4. *dub.* 2. Serra *art.* 3. *dub. unico, dicto* 3. Silvius *concluſ.* 3. Campeg. *ad Zancbinum cap.* 34. Souſa *lib.* 3. *Apboriſ. cap.* 4. Duardus *in Bullam Cœnę lib.* 2. *can. p. q.* 24., aliiq; communiter. Ratio eſt, quia Hæretici excommunicati ſunt per diverſos Pontifices, variaſq; Leges contrà Hæreticos, in ſpecie per Innoc. III., ut habetur *Cap. Excommunicamus, el. p. de bæret.* quæ pœna jam lata fuerat à Chriſto, *Matt.* 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Etnicus, & publicanus*; hocq; certiſſimum eſt, ut alia non egeat probatione. Quamvis excommunicatio iſta olim reſervata non fuerit Summo Pontifici, tamen in Bulla Cœnę reſervata fuit, per illa verba *Cęterum à prędictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in articulo mortis conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſię mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit.* Si reſpondeas, excommunicationem non ferri in Hæreticum occultum, ſed manifeſtum. In

con-

Digitized by Google

contrarium eſt, quoniam Eccleſia gaudet poteſtate, non ſolùm quoad pœnam peccati, ſed etiam quoad pœnas cenſurarum, & perſonales, in actibus occultis per accidens. Geminian. *conſ.* 110. *n.* 8. Bald. *L. Si quis non dicam rapere, col.* 2. *verſ. Venio ad oppoſitiones.* Simanc. *de Cath. Inſtit. tit.* 42. aliiq; quos citat, & ſequitur Riciull. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 10. & de facto Hæreticum occultum per accidens omnes contrahere pœnas, cenſuraſq; contrà Hæreticos inflictas, præter adductos Theologos, & Canoniſtas, docent etiam Burſat. *conſ.* 14. *nu.* 12. Menoch. *conſ.* 185. & alii apud dictum Riciullum; etenim hæreſis externa, etſi occulta, delictum eſt externum per ſe cadens ſub ſenſu, illiuſq; incognoſcibilitas non provenit ex obiecto, cum hoc de ſe cadat ſub ſenſu, at ex abſentia cognoſcitivæ potentiæ, & teſtium, quod per accidens ſe habet, idcircò habet totum id, quod ex parte delicti requiritur ad hoc, ut ab Eccleſia judicari, puniri, atq; ad externam gubernationem, aut judicium viſibile pertinere poſſit, ut perbellè, quamvis laconicè, Cajetanus. Neq; eſt novum aſſerere, in Eccleſia reperiri poteſtatem hanc ſuper actus per accidens occultos, ſiquidem Sacri Canones ſtatuunt irregularitatis pœnam contrà homicidas, etiam occultiſſimos, excommunicationis cenſuram in percutientes Clericos, quamvis non manifeſtos, fructuum privationem in Clericos beneficiatos Officium Divinum non recitantes, non obſtante, quòd omiſſio hæc ſit occulta. Et, ut ex Fagnano *in Cap. Dolentes, de celebrat. Miſſ.*, aliquid producamus, *in Cap. Ubi periculum*, *§. Nulli etiam, de elect.* 6. prohibetur collocutio etiam ſecreta, cum Eminentiſs. Cardinalibus in Conclavi exiſtentibus, ibi. *Qui vero contrafecerit, Scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipſorum ſecretè loquendo: ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.* Et *Cap. Clericis de Immunit. Eccleſ. eod. lib.* 5 occulta occupatio depoſiti Eccleſiaſtici eſt vetita. Si replices, excommunicationis vinculo innodari etiam hæreticos occultos, at non reſervari in Bulla Cœnæ, niſi abſolutionem ab hæreſi publica, ſtatim obiicio. *Feria v. die* 24. *Septembris* 1665. in Congregatione Sanctę Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, coram Summo Pontifice Alex. VII., damnatam fuiſſe, inter alias, propoſitionem ſequentem, tertiam in ordine. *Sententia aſſerens, Bullam Cœnę ſolùm prohibere abſolutionem hęreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno* 1629. 18. *Julii in Conſiſtorio Sacrę Congregationis Eminentiſſ. Cardinalium viſa, & tolerata eſt*; necnon ſequentem, in ordine quartam. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientię abſolvere quoſcunq; Sęculares ab hęreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.* Caveant igitur

Con-

Confeſſarii, ne Hæreticos occultos abſolvant, & prudens monitum Purpurati Cajetæ attendant, *Oportet Confeſſores inquirere, cum Pœnitentes tepidi in Fide, qui poſſit tentationibus conſentiunt contrà Fidem, occurrunt; an etiam ſecum ſolus ore protulerit infidelitatem ſuam, quando in illa erat*, ſiquidem tunc talis Pœnitens abſolvi nequit ab ipſis, & ſufficienter externam ſuam hæreſim reddit, ſi illam exprimat verbis, ſcripto, vel alio modo, etiam nemine preſente, vel audiente, ut docet idem Cajet. *loco citato*, & alii cum ipſo.

Ad primum; dupliciter Eccleſia judicare, & punire poteſt. Uno modo per legem, pœnaſq; ipſo jure, & facto abſq; hominum miniſterio contrahendas, & hoc modo judicare, & punire poteſt occulta per accidens, legem ferendo, ut qui aliquo modo hæreſim ſuam manifeſtaverit, quamvis in occulto, ſit excommunicatus; cum enim tunc non exigatur hominis miniſterium, & obiectum ex ſe cadat ſub potentia ſenſitiva, ad hoc judicium, & punitionem ſufficit exterioritas occulta. Alio modo judicat, & punit poſt factum, per ſententiam particularem condemnando delinquentem in judicio fori, quod ex actore, reo, Judice, ac teſtibus conſtat. *Cap. forus, de verb. ſignif.*, & hoc judicio Eccleſia non judicat de occultis, ut probat Can. in argumento adductus; & certiſſimum eſt, quia in tali judicio proceditur ſecundùm allegata, & probata, ideòq; expoſcitur, nedum quod delictum ſit alicui manifeſtum, ſed ulterius deſideratur, quod per plures teſtes, ac inditiis certis probetur in judicio, ut animus Judicis moveatur ad ſententiam definitivam ferendam. Undè dicebat Tullius 7. *act. in Verr. Judex bonus nemo eſſe poteſt, qui ſuſpicione certa non movetur.*

Ad ſecundum, Cajet. aſſignat diſcrimen inter hæreſim per ſe, ac per accidens occultam, quod illa ſua ex ratione ſibi vendicat non ſubeſſe cognitioni ſenſitivæ, à qua humana incipit cognitio, ſecundùm quam Eccleſia judicat; iſta vero ex ſe potentiæ ſenſitivæ ſubiicitur, tametſi teſtem, vel teſtes non habeat, per quos probabilis ſit in judicio. Ex quo diſcrimine patet, occultam per accidens eſſe juriſdictionis Eccleſiaſticæ per ſe loquendo, non verò occultam per ſe, quandiù maneat intrà mentem. Igitur deſervit exterioritas iſta, ut hæreſis cadat per ſe ſub poteſtatate Eccleſiaſtica, quæ tota eſt ad viſibilem, ſenſibilemq; gubernationem hujus corporis Reipublicæ viſibilis; Quod verò cognoſcibilis non ſit modo forenſi, facit ut puniri nequeat per ſententiam particularem in judicio fori, modò explicato ad argumentum præcedens.

Ad tertium. Concedimus, Eccleſiam ferre non poſſe excommunicationis ſententiam particularem contrà Hæreticum occultum,

nec

nec iſtum judicari poſſe in judicio fori, in quo neceſſe eſt cauſam cognoſci, accuſatorem, teſtes, & reum audire, merita facti diſcutere, ut ſit tale judicium Minervæ ſuffragium; monitum namq; erat Ciceronis, *Pro Cluent. Eſt ſapientis hominis animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſtione verſetur: Cum hæc ſint videnda.* His non obſtantibus, per legem, ſententiamuè generalem antecedenter prohiberi poſſunt occulta crimina, ut ſatis oſtenſum eſt, & facit etiam *Cap. Noverit, de ſent. excom.* Auguſtinus loquitur de judicio fori, & per ſententiam particularem, ut liquet ex oratione, quam immediatè anteà aſſignaverat: *Quamvis enim vera ſint quædam, non tamen Judici facilè credenda ſunt, niſi certis inditiis demonſtrentur.*

SECTIO IV.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui hæreſim ſuam internam manifeſtat per ſigna, quæ non ſufficerent ad indicandum perſonæ præſenti, ſi adeſſet, animum ſuum hæreticum.

Videtur, quod non aliquibus ſuppreſſo nomine relatis ab Azorio *lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 12. aſſerentibus, Hæreticum eſſe illum, qui ſtudio, & affectu hæretico aliquod opus externum, natura ſua indifferens, præſtat, huncq; eſſe excommunicatum. Cardinalis etiam de Lugo, *de Fide diſp.* 23. *ſect.* 2. *nu.* 24. ſcribit, non requiri ad hæreſim externam, quòd manifeſtetur per ſigna ſufficientia, vel ex ſe, vel ex circumſtantiis, ad perſuadendam aliis hæreſim conceptam; ſed hæc ſigna requiri tantùm, ut Eccleſia in foro contentioſo pœnam imponere poſſit, non ad pœnam incurrendam ipſo facto in foro conſcientiæ, in quo teſtes non interrogantur, ſed delinquentis conſcientia. In gratiam hujus ſententiæ arguitur. *Primò.* Qui ex ſtudio, affectuq; hæretico opus aliquod externum præſtat, hæreſim internam mente conceptam facto declarat, & prodit; Undè fit Hæreticus externus, ſubiectus Eccleſiæ judicio, & excommunicatus, ideoq; abſolvi à quolibet Confeſſario nequit. Facta enim, & dicta ex ſe indifferentia, ſi procedant ex animo hæreſis interioris, induunt malitiam hæreſis, ut, ſi quis ex aſſenſu hæreſis mentalis, quòd Chriſtus non ſit Homo, proferat negativam iſtam, non eſt Homo, certè hoc dictum habet hæreſis deformitatem.

Secundò. Qui infirmitatem à jejunio excuſantem ſimulans, jejunium frangeret, pœnas contra violantes jejunium incurreret, etſi illius violatio

latio nullis teſtibus poſſet probari; & ſi excommunicatio eſſet impoſita contrà procurantes pollutionem, eam incurreret, qui actibus internis, vel cibo ſumpto ex intentione, pollutionem procuraret, etſi nullus poſſet ſinè temeritate judicare, pollutionem ſecutam fuiſſe procuratam. Non eſt igitur neceſſe ad incurrendam excommunicationem in hęreticos latam, quòd hęreſis interna manifeſtetur per ſigna ſufficientia ad perſuadendum animum hęreticum videntibus, vel audientibus.

39. *Tertiò*. Qui characteribus ignotis, ſibi tantùm notis, hęreſim propriam ſcriberet; puta in *ciſra*, Hęreticus eſſet excommunicatus, per ea, quę plures docent; quiq; aliquid in vi hęreſis interioris omitteret, eadem cenſura ligaretur; & tamen tali ex ſcriptura, omiſſione; neq; perſonę prę̨ſentes cognoſcere non poſſent hęreſim interiorem ſcribentis, & omittentis. *Item*. Si teſtator Titium heredem inſtituat, validum eſt teſtamentum, quamvis adſtantes intelligere nequeant, de quò ex duobus Titiis loquatur; necnon validum eſt Matrimonium ęquivocis verbis contractum, licèt alii ex ęquivocis verbis comprehendere non valeant mentem Sponſi contrahentis. Quapropter etiam Hæreticus erit excommunicatus per expreſſionem exteriorem ſuæ hęreſis, non obſtante, quòd ſigna ſufficienter non ducant videntes, vel audientes in cognitionem mentalis hæreſis.

Reſpondeo, Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt illum, qui hęreſim ſuam mentalem exteriùs manifeſtavit per ſigna ex ſe, vel ex circumſtantiis inſufficientia ad perſuadendum videntibus, aut audientibus, quòd ipſe Hæreticus ſit. Aſſertionem hanc tueri debent omnes illi, qui aſſerunt, non eſſe Hęreticum externum, niſi eum, qui hęreſim ſuam exprimit taliter, quòd ſi quis eſſet prę̨ſens probabiliter cognoſcere poſſet, talem eſſe in hęreſim lapſum. Bannęs 2. 2. *qu.* 11. *art.* 4. *quęſ.* 2. Serra *ibid. art.* 3. Vincentius Ferre. *de Fide tract.* 2. *q.* 14. *§.* 3. *nu.* 11. Syluius, & alii Diſcipuli D. Thomę *ibidem*, pluręſq; alios refert Delbene *dubit.* 49. *petit.* 4 & videri poteſt Salelles *lib. p. cap.* 12. *à nu.* 32. Actus externi ex ſe, vel ex circumſtantiis non ſufficientes ad movendum audientes, vel videntes ad credendum, illum talem eſſe hęreticum, non ſunt determinata, veraq; ſigna hęreſis exiſtentis in intellectu; quia ſignum, ut tradit Auguſtinus *in lib. principiorum Dialect. cap.* 5., eſt, *& quod ſe ipſum ſenſui, & prę̨ter ſe aliquid animo oſtendit*; vel, ut inquit idem *lib.* 2. *de Doct. Chriſt. cap.* 1. *poſt. init.* eſt *res, prę̨ter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud ex ſe faciens in cogitationem venire*; Undè ipſe Auguſtinus *tract.* 25. *in Joannem*, ſcripſit; *Cuicumq; rei ponis ſignum, ideò ponis, ne confuſa cum aliis, cognoſci à te non poſſit*; actus autem ex-

terni

Digitized by Google

terni, de quibus in præſenti, non ducunt in cognitionem mentalis hæreſis; quia ſic proferens, vel ſic operans, non ità hęreſim ſuam explicat, quòd poſſit judicari ab aliis hęreticus; idcirco talis externa prolatio, vel operatio moraliter pro non externa reputatur, cum dici nequeat exteriùs ſignificata; nec dici poteſt ſubeſſe judicio Eccleſię. Cur Eccleſia hęreſim non punit mentalem? Quia ab ipſa cognoſci nequit, eſtq; nota ſolùm habenti illam. Dum exprimitur taliter, ut ſi aliquis adeſſet, eam percipere non poſſet, adhuc eſſet nota per ſe Hęretico ſoli, neq; per ſe eſt ab Eccleſia cognoſcibilis; propterea viſibili Eccleſiæ judicio, exteriorivè ejuſdem gubernationi dici nequit ſubiecta, aut annexam habet excommunicationis cenſuram. Diſcurramus parumper in hujus rei explicationem. Quid intelligis nomine hęreſis externę, quę ſola reſervata eſt Summo Pontifici in Bulla Cœnæ? Procul dubio hæreſim illam, quæ indicat in faciem Eccleſiæ animum hæreticum. Hoc colligo ex Doctrina Sancti Doctoris ſuperiùs adducta, *ex 2. 2. qu. 12. art. p. ad 2. Ad Fidem pertinet, non ſolùm credulitas cordis, ſed etiam proteſtatio exterior Fidei per exteriora verba, vel facta, nam Confeſſio eſt actus Fidei; & per hunc etiam modum quædam exteriora verba, vel opera ad infidelitatem pertinent, inquantum ſunt infidelitatis ſigna, per modum, quo ſignum ſanitatis ſanum dicitur*. Nunc dicas, exteriora verba, vel facta, poſſunt nè dici proteſtatio exterior, confeſſionè Fidei, niſi per ipſa proferens, vel operans ſeſe fidelem demonſtret? Proteſtaturnè, confitetur ſe Catholicum per verba, vel opera, quę determinatè non ducunt in cognitionem Fidei exiſtentis in ipſo? Intus penetra naturam ſigni, verbi, vel operis proteſtativi, & agnoſces, proteſtationem, confeſſionemque exteriorem Fidei Catholicę fieri non poſſe niſi per verba, aut opera omninò ejuſdem propria, & quæ in ipſius cognitionem, quoad alios, ducant. Cur ergo idem aſſerendum non erit de exterioribus verbis, operibuſuè ad infidelitatem ſpectantibus, ita quòd ille dumtaxat dicendus ſit infidelis exteriori infidelitate, qui errorem ſuum per ſigna, & verba expreſſiva, reſpectu aliorum, manifeſtat? Pondero alia verba Angelici: *Exteriora verba, vel opera ad infidelitatem pertinent, inquantum ſunt infidelitatis ſigna*. Actus externi non exprimentes aliis animum hæreticum, interiorem hæreſim, ſuntnè infidelitatis ſigna? Oſtendimus non eſſe, quia in cognitionem determinatam ipſius inducere non poſſunt. Si quis ex hæreſi interna, quam fovet in corde, digitos moveat, oculis innuat, Catholicum percutiat, quidue hujuſmodi faciat, per quod mala voluntas aliis non pateat, dicitur ne hæreſim ſuam ſignificare? Non, & hoc firmat illa, quæ de ſigno tradit S. Do-

ctor 4. *diſt. p. q.* 9 *art.* 9. *quæſt. p. ad* 5. Claudendus ergo diſcurſus, & dicendum, ſic manifeſtantem ſuam hæreſim non eſſe Hæreticum externum, nec excommunicatum, ut, præter citatos Scriptores docent etiam Azor. *lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 12. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 2. *q.* 24. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 240., ſed à Confeſſario quolibet abſolvi poſſe. Ex quibus prudens Confeſſarius colliget, ac ſciet, poſſe ſe abſolvere illum, qui interiùs credit aliquid, quod ipſe putat eſſe Hæreticum, ſeù contrà Fidem, revera tamen non eſt, illudq; exteriùs profert abſq; animi proprii manifeſtatione; atq; credentem propoſitionem aliquam veram, animo credendi contrarium, tametſi Eccleſia illud definiret, ſi talem propoſitionem, tacito ſuo animo, externè pronunciet; Necnon abſolutionem poſſe impartiri ei, qui narrando, vel traſcribendo, vel legendo Libros, narrat, ſcribit, vel pronunciat hęreſim, quam intùs fovet; aut interna ex hęreſi blaſphemiam non hæreticalem profert; ſiquidem caſibus in iſtis interiorem hæreſim non ità manifeſtavit, ut ſi quis eſſet præſens, illam percipere poſſet.

Ad primum, quamvis talis, quoad ſe, prodat hæreſim ſuam externam, tamen non quoad alios, & in faciem Eccleſiæ, reſpectù cujus ipſius hæreſis non dicitur externa, cum ex ſignis ſic indifferentibus non ſufficienter determinari poſſit ad credendum; quòd ille talis Hęreticus ſit: Si enim quis in mente habeat hæreſim, & in illam conſentiens, exteriùs proferat, *ita eſt*; vel ſi ex errore interiori, quòd Deus non ſit, dicat, *non eſt* aut non credens Corpus Chriſti eſſe in Hoſtia conſecrata, hac de cauſa coram Eccleſia caput non detegat, non poteſt dici Hæreticus externus. Num autem verba, & opera iſta externa, procedentia ex animo interioris hæreſis, malitiam hereſis contineant, diſſidium aliquod videtur inter Doctores; nos dicimus, in faciem Eccleſiæ, malitia hæreſis non inſici, quoniam intantum ad infidelitatem, & hæreſim pertinent, inquantum ſunt illius ſigna, diximus autem exteriùs non eſſe, neq; homines judicare poſſunt, ipſa provenire ex mala credulitate, & interiori hęreſi.

Ad ſecundùm ſatisfacio, diſtinguendo de actibus internis, quidam enim ſunt, qui exterius prodeunt per actus imperatos, per quos conſumantur, quamvis non ſint ſigna eorumdem, ſicuti externi actus pollutionis, & comeſtionis contrà jejunii præceptum ſunt conſumationes actuum intemperantię, à quibus procedunt, quatenus effectus immediatè ab illis procedentes; & non formaliter, ut ſigna, & tunc non eſt neceſſe, actus externos eſſe tales, ut videntes ipſos poſſint arguere, & venire in cognitionem externorum. Alii ſunt interni actus, qui exteriùs non manifeſtantur, niſi per ſigna, ſicuti eſt hæ-

resis,

Digitized by Google

reſis, quæ exteriùs non prodit, niſi per verba, vel opera ipſam ſignificantia, juxtà Doctrinam adductam Angelici Doctoris: Et quia ſignum formaliter eſt talis naturæ, ut ducat in cognitionem ſignati, per ea, quæ tradunt Dialectici, & Theologi, *in materia de Sacramentis*, ideò hæreſis non dicitur externa, niſi exprimatur per verba, operavè, ex quibus audientes, vel videntes; prudenter arguere poſſint hereſim interiorem. Majoris claritatis gratia dico, quòd in caſibus adductis à Card. de Lugo, exteriùs haberetur totum id, quod eſt prohibitum ab Eccleſia, videlicet exterior fractio jejunii, & exterior pollutio, in caſu noſtro non eſſet hereſis exterior, ſeu hæreſis conſumata in faciem Eccleſiæ.

Ad tertium, Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 8. *nu.* 10. ſcribit, non eſſe Hæreticum externum, excommunicationiſq; vinculo innodatum, ſcribentem hereſim propriam characteribus, ſeù cifris à ſe repertis, quæ à nemine poſſint intelligi, in quam ſententiam eſt etiam Riciull. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 9. *nu.* 7. Hurtadus ſe ſubſcribit, *diſp.* 83. *ſect.* 3. *§.* 15., quando illi characteres ab ullo alio intelligi nequeant, ſicuti accidit, dum ſunt pauci, inconcinnè, & contrà ſcribendi regulas formati. At, ſi ab aliis peritis in ea arte explicandi hujuſmodi ſcripta inteligi poſſint, talis hæreſis per ſe erit manifeſta, & nonniſi per accidens occulta. Si quis etiam anteà dediſſet alteri regulam legendi notas illas, cifraſq; occultas, idem eſſet; ſicut pariter, ſi apud ſe in ſcriptis teneret regulam cognoſcendi, & intelligendi characteres, cifras, notaſuè prædictas ſoli ipſi notas, quoniam non repugnaret ex natura rei, mortuo, vel abſente auctore, vel alio caſu fortuito, ſcripturam illam reperiri, qua reperta, aliis hæreſis illa interna manifeſtaretur. Quid autem, ſi Hæreticus mentalis hæreſim ſuam ſcriberet notis obſtruſis, quas nemo, præter ipſum tunc legere poſſit, poſteà vero elapſo tempore, memor, vel immemor fortaſſe illius Scripturæ, amico ſuo modum legendi characteres illos communicaſſet, atq; ideò illa Scriptura inciperet eſſe intelligibilis? Dico, quòd ſi hodie lecta illa Scriptura ſolam hæreſim preteritam manifeſtet, nec aliquo modo ejus perſeverantiam ſignificet, talis non eſſet Hereticus externus; ſecus ſi perſeverantiam in hereſi indicare poſſet. Ad motiuum de teſtamento, negamus verba Teſtatoris non indicare preſentibus intentionem ſuam teſtandi, quamvis enim ſit aliqua difficultas circa heredem ex nomine Titii, tamen omnes ſufficienter cognoſcunt ipſum volviſſe facere teſtamentum; & quia non expreſſit, cui Titio voluerit hereditatem relinquere, niſi ex circumſtantiis arguatur potius de iſto, quàm de alio, dicunt nonnulli, dividenda eſſe bona inter utrumque Titium.

C 2 Verba

Verba etiam ambigua contrahentis Matrimonium poſſunt ex circumſtantiis interpretari ſufficienter, ut exprimant conſenſum; alias non ſufficerent ad Matrimonium, & obligationem. Ipſe Card. de Lugo *nu.* 18. videtur adhærere noſtræ ſententiæ, dum ſcribit: *Non incurrit quis excommunicationem, ſi hæreſim internam prodit in aliquem actum externum, qui tamen de ſe non ſignificat complete hæreſim internam, ut ſi cogitans hæreſim internam, eiq; aſſentiens, percutiat menſam, dicendo Ita eſt.*

SECTIO V.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hæreſi interiori manifeſtata per verba æquivoca, habentia Catolicum, & Hæreticum ſenſum.

Videtur poſſe, juxtà doctrinam Palai *tract.* 4. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *nu.* 3. Hurtadi, *de Fide diſp.* 83. *ſ.* 13. & 14. aliorumq; dicentium verba hujuſmodi æquivoca non facere hæreſim externam, niſi prolata ſint à perſona aliàs de hæreſi ſuſpecta. *Primò*. Verba ambigua, & dubia interpretari debent in bono ſenſu, juxtà doctrinam S. Doctoris 2. 2. *q.* 60. *art.* 4., *ac* Divi Auguſt. *lib.* 2. *cap.* 18. *de Serm. Domini in Monte*, *Matth.* 7. ubi explicans dictum illud. *Nolite judicare*, ſcribit. *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi, ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt, à fructibus eorum cognoſcetis eos, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono modo fieri. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia in bono, & malo fieri poſſunt, de quibus temerarium judicare, maximè, ut condemnemus*. Videri poſſunt Bernard. *ſerm.* 47. *in Cantic.*, & Senec. *lib.* 2. *de ira cap.* 24. Eſt etiam communis Doctorum animus, facta, & verba, quæ duplicem poſſunt habere ſenſum, unum Catholicum, & alium Hæreticum, eſſe in Catholico interpretanda. Igitur ex verbis æquivocis non conſtituitur quis Hæreticus externus, & excommunicatus, ac proindè à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt.

Secundò. Ad hoc, ut quis incidat in excommunicationem in Hæreticos latam, requiritur, quòd ſignum externum tale ſit, ut videntes, vel audientes prudenter, & abſq; temeritate colligere poſſint animum hæreticum, ut nunc ſuppono, *ex ſect. præced.* Audiens verba æquivoca, & ambigua, quę in bono, & Catholico ſenſu interpretari poſſunt, prudenter, & abſq; temeritate judicarè non poſſet, proferentem illa hęreticum animum habere, ſi alàis non ſit perſona ſuſpecta, non enim talia verba, ex ſe, vel ex circumſtãtiis ſufficiunt ad errorem ſuum explicandũ.

Tertiò.

Tertiò. Qui cogitans de Chriſti pręſentia in Euchariſtia, has profert voces. Non eſt ita, in cenſuram non incidit ex eo, quòd audientes hęc verba judicare nequeunt ipſum loqui de Chriſto in Euchariſtia; ſed eadem eſt ratio, quandò quis ex hereſi interiori ęquivoca verba profert, exempli gratia, ſi quis intendens loqui de Deipara, dicat, *Maria non fuit Virgo*, ſiquidem audientes non poſſunt prudenter judicare, quod loquatur de Chriſti Matre. Undè ęquivocè loquens in caſu noſtro excommunicatus non eſt, ſed abſolvi poterit à Confeſſario quolibet.

Reſpondeo, pręmittendo cum Angelico Doctore *Opuſc. de fallaciis cap.*9. ęquivocationem eſſe deceptionem ex hoc provenientem, quòd una dictio plura ſignificat, ſicut exemplificant Dialectici de hac voce, *Canis*, quę terreſtrem, marinum, cęleſtemq; Canem ſignificat. Uſus fuit ęquivocatione Cicero, cum Fauſtus Syllę filius, ob eris alieni magnitudinem, ſuppellectilem ſuam proſcripſiſſet, inquiens, *hanc proſcriptionem magis approbo, quàm paternam*. Luſit ambiguo verbo. Proſcribitur res, quæ in auctione venum exponitur, & proſcribuntur homines à quovis jugulandi, quo crudeliſſimo genere, Sylla quamplures cives proſcripſerat. Plutarchus *in Rom. Apophtegm.* In caſu noſtro, quis exprimeret hereſim ſuam per verba ęquivoca, ſi corde adhęrens hereſi Hebionitarum, Cherinti, aut Elvidii, proferet hęc verba, *Maria non eſt Virgo*, quoniam nomen, *Maria*, æquivocum eſt ad Deiparam, & alias fœminas, & ſi intelligeretur dicta propoſitio de Matre Dei, eſſet hæretica, ſi de alia fœmina carnaliter cognita à viro, vera. Conveniunt Scriptores, quòd ſi Hæreticus mentalis proferens ex hæreſi interiori verba æquivoca, ſit aliàs de tali hæreſi ſuſpectus per talem prolationem exteriorem, ſit hæreticus externus, excommunicatus, nec abſolvi poteſt à Confeſſario quolibet, ſicut etiam ſi proferens ſit vir doctus, & pręvidere debeat, neceſſariam eſſe apud Auditores explicationem propoſitionis ambiguæ in ſenſu Catholico, Riciull. *de jure perſon. lib.*5. *cap.*9. & citati Scriptores, qui volunt, quòd ſi aliàs non ſit perſona ſuſpecta, non ſit hæreticus externus. hancque ſententiam probabilem eſſe dicit Delbene, *dubit.*49. *petit.*4. *num.*5. Nihilominùs ſentio, exprimentem hæreſim propriam interiorem per amphibologica, ambigua, & æquivoca verba, quæ in aliqua propria ſignificatione hæreticum ſenſum habere poſſunt, licèt in alia ſignificatione ſenſu non careant Catholico, & proferuntur ex animo ſignificandi hæreſim mentalem, abſolvi non poſſe à Confeſſario quolibet, ſed illius heręſim eſſe Pontifici reſervatam. Siquidem hunc eſſe hęreticum excommunicatum, docent quamplures Scriptores, inter quos Suarez *de Cenſur. diſp.*4. *ſect.*3. *num.*17 & *de Fide diſp.*21. *ſect.*2. *num.*10. Bonac. *diſput.*2. *de Cenſ. qu.*5. *punct.*2. *num.*6. Sanchez *lib.*2. *in Decal. cap.*

8. *num.*

8. *nu.*26. Card. de Lugo *de Fide diſp.* 23. *ſect.* 2. cujus tamen non approbo diſcurſum, qui eſt. Non plus requiritur ad incurrendam cenſuram excommunicationis, quàm ad contrahendum matrimonium, hæredem inſtituendum, ad legata, & ſimilia, ad quæ omnia requiritur, vocibus, vel ſignis internum exprimere conſenſum, ſed in illis non tollitur valor ex eo, quòd verba fuerint æquivoca, quod probat per ea, quæ adducta fuerunt *in* 3. *argum. ſect. præced.* Igitur neque per æquivoca verba tollitur exterior manifeſtatio hæreſis. Diximus namque reſpectu expreſſionis intentionis teſtandi in illo caſu verba non eſſe ęquivoca, ſed tantùm in ordine ad hęredem, & in matrimonio ratione circumſtantiarum exprimere conſenſum Sponſi, & tamen Cardinalis de Lugo, innixus ſuo principio, putat verba æquivoca ſufficienter conſtituere Hęreticum externum, etiam ſi talia ſint, ut audiens illa probabiliter hęreſim internam proferentis cognoſcere non valeat. Arbitror, verba ęquivoca verè ſignificare hæreſim internam, atque ex ſe apta eſſe, ut ex illis auditores hæreſim mentalem cognoſcant, quamvis per accidens hìc, & nunc prudenter illam coniicere nequeant ex eo, quòd ſenſus Hæreticus coopertus eſt alio non Hæretico, qui per accidens ſe habet reſpectu hęretici ſenſus, & audientium, qui hæreticum ſenſum audire impediuntur, & ipſum diſcernere; undè judicandum eſt de hæreſi expreſſa verbis æquivocis, ſicut de occulta per accidens, verborum ſi quidem ambiguitas ſolùm deſervire poteſt ad hæreſim per accidens occultandam, nec fictam cauſam minuit, ſed per accidens occultat. Quinimò addo, hæreſim internam ſic expreſſam coram teſtibus, nec per accidens occultam eſſe, at manifeſtam; quoniam verba æquivoca habent vim ſufficientem ex natura ſua ſignificandi animum hęreticalem, etenim ſuppono æquivoca verba, de quibus loquimur, in propria ſignificatione habere poſſe hæreticum ſenſum, & ſicuti ſufficienter exprimunt ſenſum Catholicum, ſic ſua ex vi, ac natura hæreticum etiam animum patefaciant; & quamvis illa audiens non debeat ipſa in ſenſu malo interpretari, hoc non eſt, quia attenta vi verborum, & ſignificationis, homo non habeat ſufficiens fundamentum interpretandi ea in ſenſu hæretico, cum propriè, & litteraliter talem ſignificationem contineant, nec erraret in regulis grammaticalibus intelligendo dicta verba hæreticali in ſignificato, nec falleretur in attingendo vero ſenſu ipſorum, & faciliùs poteſt falli interpretando ea catholicè, quia in pluribus accidit, quòd aliqui malè agant, cùm ſtultorum infinitus ſit numerus, ut dicitur *Eccleſ. p.* Proni enim ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua. *Gen.* 8. & hoc concedit etiam Divus Thomas 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. *ad* 2. inquiens, *Poteſt contingere, quòd ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentiùs fallatur.* Quod igitur

Digitized by Google

tur non interpretêmur æquivoca verba, ab hæretico prolata corde hæreticali, in ſenſu hæretico provenit ſolùm ex quadam virtute ducente nos ad habendam bonam opinionem de proximo, quæ etiam facit, ut ſi mala videamus, bona ſuſpicemur; non autem derivatur ex natura ipſa, & ſignificatione verborum æquivocorum. Si quis dicat, *Canis eſt ens.* Quis me prohibet accipere hoc dictum de Cane cæleſti, aut de quocumque alio cane, cum de omni in ſenſu litterali, & propriè verificari poſſit? Sic pariter. Si Hęreticus ex interiori hæreſi, quòd Deipara Virgo non ſit, exteriùs proferat. *Maria non eſt Virgo*, cur ſtando in verborum ſignificatione, intelligere non poſſum hanc de Matre Dei? Vetat me hanc interpretationem bona opinio, quam teneor habere de proximo: ſed demus me operari contra hanc virtutem: nonnę tamen & proferens, & verba prolata mihi ſufficiens præbent fundamentum hujus interpretationis? Pro indubitato hoc habet Aragon. 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 4. ubi ſequentia dat verba: *Fateor tamen, quod ſi tale proximi detrimentum non intercederet, ſemper deberemus rem dubiam ſecundùm prudentiam in deteriorem partem interpretari, propter rationem argumenti*, ratio autem erat, quia judicium in dubiis, cum declinat in deteriorem partem, regulariter, & ut plurimùm eſt verum. Magis firmo adhuc aſſertionem. Ad hoc, ut hęreſis dicatur externa, non requiritur, ut ex ſigno externo poſſint auditores evidenter judicare hęreſim internam in proferente, ſed ſufficit, quòd probabiliter poſſint de illa judicare, vel prudenter dubitare de aſſenſu hęretico proferentis, ſicut enim ad internam hęreſim ſufficit poſitivè dubitare de Myſteriis Fidei, ſic ad externam ſat eſt aliis prudentem dubitationem iniicere, & ſuſpectum proferentem reddere, nec ad rationem ſigni expoſci videtur, ut ducat ad formandum judicium firmum, & certum de exiſtentia ſignati, quod puto voluiſſę innuere Joannem Abbatem Rayth. *cap. p. in Schol. Joan. Climaci*, dum ſcripſit, *Signum quoque eſſe de contingentibus, & veriſimilibus, argumentum verò de conſequentibus naturam.* Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 29. *dubit.* 4. *num.* 37. inquit, quòd non tenemur lege juſtitię dubia negativè, & ſpeculativè interpretari in meliorem partem, ita ut non opinemur, ſeù ſuſpicemur ipſum in re eſſe improbum; quandò dubium eſt poſitivum, quia tunc utrinque ſuppetunt argumenta ad probabiliter opinandum utramvis partem, cum formidine de oppoſito; undè ſi aſſentiar parti deteriori, opinando eſſe improbum, non ei facio injuriam, cum argumenta ad talem opinionem ancipitem animo ingerendam ſufficiant, nec habeat jus, ut de ipſo non ſuſpicer, etſi nequeam dare certum judicium de ipſius improbitate, undè in caſu noſtro, poſſum probabiliter ſaltem arguere animum hęreticum proferentis, huncque habere ſuſpectum. Qua propter talia verba ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiunt ad conſtituendum Hęreticum internum; & magis manifeſta fiet veritas hęc ex argumentorum ſolutione.

Ad primum, verba hęreticalia dubia, ęquivoca, & ambigua, ſi proferantur à perſona aliàs ſuſpecta, interpretari debent in deteriorem partem. Rojas *part. p. de hæret. nu.* 205. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 83. & alii communiter. At loquendo de perſona, de qua ſiniſtra ſuſpicio non habetur, verba ęquivoca, & dubia interpretanda ſunt in meliorem partem, quando agitur de diffiniendo, ſivè determinando, ſed, ſi tractetur de vitando aliquo damno, vel adhibendo remedio, ſunt in partem deteriorem accipienda, juxtà Doctrinam Divi Thomę, *ubi ſupra ad* 3. non judicando proximum eſſe Hæreticum, ſed judicando ità exterius cavendum, ac ſi dubia eſſet probitas proferentis. Aragon. & Leſſius, *ubi ſupra*. Quarè audiens verba æquivoca prolata ab Hæretico mentali prudenter poteſt opinari, & dubitare proferentem eſſe Hæreticum, ſaltem ad finem evitandi ejus conſortium, vel etiam conſulendi ejuſdem ſaluti.

Secundò dicimus, talia verba poſſe in partem deteriorem interpretari, non formando judicium certum de hæreſi, ſed probabile, & dubium, modo in corpore ſectionis explicato. Doctores ſcribentes, propoſitionem habentem Catholicum, & hęreticum ſenſum interpretandam in Catholico, loquuntur, quando cauſa agitatur in judicio, quoniam in dubiis favendum eſt reo, delictumq; excludendum, quantùm poſſibile eſt. Sed in foro conſcientiæ eſt in caſu noſtro excommunicatus.

Tertiò ſatisfacimus per ea, quæ in diſcurſu pro noſtro aſſerto retulimus, ex quibus etiam patet ſolutio ad alia objecta.

SECTIO VI.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hæreſi interna, completè manifeſtata exteriùs per verba prolata in ſomno, vel ebrietate.

Videtur non poſſe. *Primò*. Satis probabile eſt manifeſtationem hæreſis internæ factam in ebrietate, & ſomno, ſecum ferre cenſuram, ut docet Bonacina *diſp.* 2. *de cenſur. q.* 5. *punct.* 2. *nu.* 7. Nam ſecuta in ebrietate, & ſomno imputari ſolent ad pœnas inducendas, quinimò Pittacus Mitylenæus legem tulerat, ut qui per temulentiam ſceleris aliquid commiſiſſent, duplici pœna punirentur. Fornicationem, & pollutionem in ſomno, & ebrietate, ſi prævideantur, eſſe peccata, docent Theologi, & videri poteſt etiam Paſſerin. *Cap. Ut animarum q. p. art.* 24. *de Conſtit. in* 6., ubi etiam *nu.* 465. inquit,

quit, ebrium voluntarium non excuſari ab irregularitate, vel excommunicatione lata contra actionem habitam in ebrietate. Cajet. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 4. latè pertractat materiam hanc de peccatis in ebrietate commiſſis, docens, ebrio imputari blaſphemias, quod etiam docet Paſſerin. *nu.* 449.

Secundò. Si verba in ſomno, & ebrietate prolata non manifeſtant perfectè hæreſim, nec ſufficiunt ad conſtituendum Hæreticum externum, hoc ideò erit, quia non ſunt verba humana; hoc autem eſt falſum, quia licèt ſomnus ſit *ligamentum ſenſuum*, ſecundùm Ariſt. *lib. de ſomn. & vigilia*; vel *privatio diſpoſitionis animæ imperantis ſenſibus, & virtutibus exterioribus*, ut inquit Avicen.; nihilominus, eodem teſte, diſpoſitione in iſta, *anima convertitur ab exterioribus ad interiora*. Auguſtinus *lib. p. de immortalit. animæ, tom. p.* de ſomno ſermonem habens, ſcripſit. *Quia secundùm naturam eſt talis commutatio, quæ reficit corpus à laboribus, non tamen hæc adimit animo, vel ſentiendi vim, vel intelligendi*. Neq; ebrietas tollit judicium rationis; Undè ebrius, ac dormiens retinet ea, quæ hominis propria ſunt. Præterquam quod ad actionem humanam ſufficit libertas in cauſa, hæcque in actionibus ebrii, dormientiſque reperitur.

Tertiò. Sacramentum eſt validum per verba in ſomno, vel ebrietate prolata, quando aliquis cum intentione proferendi verba illa, & ad hunc finem, vult ſe inebriare, & dormire, tunc enim verba oriuntur immediatè ex intentione illa priori, & ſunt voluntaria. Nec omnes Sacramentales actiones ſunt volitæ immediatè in ſeipſis, ut, cum quis effundit aquam in puerum, videtur velle ablutionem in cauſa. Igitur, quando quis in vigilia prævidit, ſe ob aſſenſum præſentem hæreſis, fore eam in ſomno manifeſtaturum, & vult ſomnum ad talem finem, ſufficienter eſt hæreticus externus, & per conſequens abſolvi nequit à quolibet Confeſſario.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt ab hæreſi interna manifeſtata ſolùm per verba prolata in ſomno, vel ebrietate, etiamſi in vigilia præviderit, ſe, ob aſſenſum præſentem hæreſis, fore eam manifeſtaturum in ſomno; imò etiamſi ad hunc finem ſe inebriaret, vel dormiret, ut ebrius, vel dormiens proferret ſuam hæreſim, quod non audet ſobrius, vel vigilans exprimere. Serra 2. 2. *quæſt.* 11. *artic.* 3. Suarez *de Fide diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 12. & alii plures. Non efficitur quis hæreticus externus, niſi per ſigna provenientia ab hæreſi interiori, ac formaliter expreſſiva ipſius, nec ſufficit, iſtam de materiali ſe habere ad exteriora opera, vel verba; quoniam expoſcitur, quòd iſta contineant aſſertionem, ac confeſſionem illius. Sanchez. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 8. qui de communi teſtatur. Pronunciatio exterior hæreſis in dormiente, ac ebrio non provenit ex hæreſi interiori, at naturali conditione, quam habet dormiens,

miens, vel ebrius, nec illa eſt manifeſtatio, cum dormientis voces non ſint ſignificativæ animi vigilantis, at confuſarum apprehenſionum. Chartæ commiſit Stob. *ſerm.* 18. Sophoclem vitio vertiſſe Æſchylo, quòd ebrius ſcriberet; nam & ſi benè ſcriberet, neſciens tamen id faciebat; innuens ſcripturam ebrii ſignificare, atque exprimere non poſſe animi conceptum. Incapacem eſſe ebrium diſcurſus notum fecit Cleoſtratus, dum cuidam ei dicenti. Non pudet te ebrium fieri? reſponſum dedit, *Te verò non pudet ebrium monere?* Nam puto ebrii haud fuiſſe reſponſionem. Certè, ſi loquamur de expreſſione, ac manifeſtatione hæreſis non prævifa, peccaminoſa non eſt, ſed naturalis, involuntaria, atque ideò cenſuræ non ſubjecta, quoniam dormiens, & ebrius rationis uſu carent. Sed loquendo etiam de prævifa, cum verba hæreticalia ab ebrio, vel dormiente prolata eamdem turpitudinem non retineant, verba non ſint humana, nec humanam mentem exprimant, etiam ſi eſſent directè volita, ad hæreticum externum conſtituendum adhuc non ſufficiunt. Contumeliæ ab ebrio, aut dormientæ dictæ non ſunt peccata, nec contumeliæ, ut etiam advertit Paſſerin. *ubi ſupra nu.* 448. *Nam verba hæc tempore ebrietatis non æſtimantur communiter contumelioſa, ſed tamquam facetiæ admittuntur, & ita ipſimet, adverſùs quos dicuntur, tantùm abeſt, ut loco contumeliæ illa accipiant, ut potiùs oblectentur, & rideant.* Indubiè viri prudentes, ac cordati, contra quos proferuntur, eas non attendunt, putantes non lædi in fama, & honore ab ebrio, vel dormiente; & hoc oritur ex eo, quòd homines arbitrantur ebrios, & dormientes talibus verbis conceptum proprium, & animum, quem habent vigilantes, & ſobrii, non exprimere, ſed ita loqui ex confuſis apprehenſionibus, & neſcire quid dicant, ſecundùm quod teſtatur Ambroſius *lib. p. de Abraham cap.* 6. *Diximus vitandam ebrietatem, per quam crimina cavere non poſſumus. Nam, quæ ſobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum eſt, quòd eam inflammat libidinem; accendit cupiditates corporis; ipſam quoque mentem ſubruit, & animum capit, ſenſum extorquet. Neſciunt, quid loquantur, qui nimio vino indulgent, jacent ſepulti.* Si dicas, verba ebrii, atque dormientis, indicare, & exprimere animum vigilantis, quoniam *in vino veritas*, & homo voluit ſe inebriare, in caſu noſtro, ad exprimendam ſuam hæreſim, ſuoſque conceptus, ad quem finem etiam vult dormire. Occurro, & dico non poſſe vigilantis animum indicare, ſi ebrietas talis ſit, ut rationis uſum abſorbeat, ſiquidem voces ſignificativæ, ſeu verba, non inſtituuntur ad ſignificandam mentem præteritam, ſed homo dum loquitur, exprimit mentem, quam actu habet; ebrius autem, & dormiens præſentem animum non habet, undè nec ſufficiunt hujuſmodi verba ad conficiendum Sacramentum. Major difficultas eſt in caſu, quo quis verè

non

Digitized by Google

non dormiat, nec ſit ebrius, ſed ſomnum, & ebrietatem fingat, & in tali ſtatu manifeſtet propriam hæreſim internam, ita ut ex intentione talis expreſſionis dictam fictionem habeat. Delbene *dubit.* 23. *ſect.* 16. *nu.* 9. inquit, quòd ſi fictio ſomni, & ebrietatis ſit per ſe occulta, pureq; mentalis, nullo ſigno eam probabiliter indicante ſignificata, ſic fingens, & proferens, non eſt hæreticus externus, quia occultatio ſuæ hæreſis non eſt ex defectu audientium, ſed ſui, loquitur enim in circumſtantiis, in quibus non manifeſtatur hæreſis propria. Cardin. de Lugo *num.* 37. ſuſtinet, hunc Hæreticum eſſe externum, excommunicationiſq; vinculo innodatum; ſiquidem, licèt audientes non percipiant ipſius hæreſim, ſed à ſomno, ebrietatevè provenire putent, reverà tamen illæ ſunt voces, verbaque humana ſufficientia ad effectus alios, ad quos externa verba humana requiruntur, puta ad conſecrandum, baptizandum, & recitandum Officium, nec eſt neceſſe, quòd audientes prudenter poſſint hæreſim internam percipere. Vincentius Ferrer. de Fide, *tract.* 2. *q.* 14. §. 3. *num.* 12. ſcribit, non eſſe hæreticum externum, quia ſomnus fictus habet impedire judicium audientium, ac, ſi eſſet verus; neq; fingens vult hæreſim ſuam manifeſtare, imò ideò ſomnum fingit, ut nullus in notitiam ſuæ hæreſis veniat. Mihi videtur dicendum, quòd ſi fictè dormiens nolit plus ſignificare per verba illa, quàm, ſi à dormiente, vel ebrio proferantur, non eſt Hæreticus excommunicatus; at ſe haberet, uti hæreticus internus, qui in ſcena ageret perſonam hæretici, hic enim, etſi gauderet de occaſione proferendi illas voces, dum tamen eas non proferet, ut mentem ſuam ſignificaret, hæreticus externus non eſſet, ex intentionis defectu. At, ſi ſomnum fingat, ad finem manifeſtandi hæreſim internam, ut ſupponit difficultas, arbitror eſſe hæreticum externum, & excommunicatum; quoniam occultatio hæreſis ipſius non eſt per ſe, at per accidens, & quiſquis verba illa audiret, & cognoſceret circumſtantias, quibus à parte rei proferuntur, prudentiſſimè hæreſim internam judicaret, etſi enim cum circumſtantia ficti ſomni proferantur, adeſt tamen & circumſtantia vigiliæ veræ, & quiſquis cognoſceret ſomni fictionem, veramq; vigiliam, optimè hæreſim internam deprehenderet. Vigilia non habet per ſe, quòd non poſſit cognoſci, ut docere videntur tres Scriptores relati, at ſolùm per accidens eſt incognoſcibilis, & occulta, cum ſit obiectum ſenſibile, externumq;, licèt per accidens ſomni fictione coopertum. Ex his habetur, non omnem Confeſſarium abſolvere poſſe ſic fingentem, & proferentem hæreſim.

Ad primum negamus, exprimentem hæreſim in ſomno eſſe excommunicatum. Nec eſt eadem ratio, inquit Serra *loco cit.*, de oc-

 cidente

cidente Clericum in ebrietate: quia externum illius homicidii ex ſe ſubiectum eſt cenſuræ excommunicationis, dummodò voluntarium ſit, ſaltem in ſua cauſa: Pronunciare verò hæreſim non eſt excommunicationi ſubiectum, niſi quatenus procedit ab hæreſi interiori, cum talis excommunicatio ſit lata contrà Hæreticos, hæreſiſq; principaliter, & eſſentialiter conſiſtat in intellectu: propter quod hæreſim proferre, intantum ſubiicitur excommunicationi, inquantum procedit ab hæreſi interiori. Aſſentior, ebriis plura imputari ad peccatum per ea, quæ tradunt Theologi: Nihilominus diſtinguendum eſt cum Paſſerino *ubi ſupra nu.* 448. aliiſq;, ac dicendum; facta in ebrietate, etiamſi ex genere ſuo inìqua ſint, & prævideantur, ſi nullum damnum proximo inferant, non reputari culpabilia; quæ autem damnum proximo inferunt, imputari, ſi prævideantur, quia non minus lædunt in ebrietate, quàm in ſana mente. Verba hæretica, & opera, per quæ dormiens exprimit ſuam hæreſim, inter priora à nobis computantur, ſicut contrà horum lineam reponuntur ab aliis verba contumelioſa; quia cum non accipiantur, tamquam verba humana, non poſſunt imprimere in aliis errorem. Fornicatio eſt in tertii præjudicium, quia contrà bonum prolis. Quantum ad actiones habentes cenſuras annexas, jam diximus cum Serra, ebrium incurrere cenſuras, committendo tales actiones, quando actio exterior cum omnibus circumſtantiis à cenſura requiſitis poteſt ab ipſo provenire, quod non habet locum in hæreſi. Non caret tamen difficultate, quod tangitur de blaſphemiis: Imputari ſiquidem ebrio, dixerunt Sanchez *lib. pr. Moral. cap.* 16. *num.* 44., quem ſequitur Paſſerinus, citans Cajet. *quæſt.* 150. *art.* 4. *ex* 2.2. & Toletum *tract.* 7. *cap.* 61. *num.* 4. & idem docet Paſſerin. ex Sanchez, *de infidelitate, & periurio*, quia hujuſmodi de ſe mala ſunt, & volita in ſua cauſa, ſi ſint prævila, nec Deus acceptat illa, vt facetias. His non obſtantibus, cenſeo, blaſphemias in ebrietate prolatas, licèt prævisas, non eſſe peccata, aut blaſphemias; nec periurium ebrii, vel dormientis eſſe periurium, quia præceptum Religionis ſolùm prohibet adducere Deum in teſtem mendacii per verba formaliter ſignificativa, non per materialia, qualia ſunt verba dormientis, & ebrii, & Vaſquez *p.* 2. *diſp.* 127. *cap.* 3. ac Monteſin. *quæſt.* 76. *art.* 4. *num.* 137. docent, infidelitatem, blaſphemias, atque periuria petere fieri ſcienter.

Ad ſecundum diximus, verba ebrii, dormientiſque, humana non eſſe, aut humano more ſignificare; neq; eſt verum manere in illis judicium liberum; & de ebrio loquens ſcripſit Baſil. *hom.* 24. *Ebrietas rationis interitus, fortitudinis pernities, ſenectus immatura, mors momentanea*; ejuſdemq; ſimilitudo eſt; *Ut aqua adverſatur igni, ſic immoderatus vini potus ratio-*

nem

[illegible] extinguit temperantem) Petrus Ravenn. *Ubi regnat ebrietas, ratio exulat*; aliiq; Sancti Patres ebrium bruto, hac de cauſa, aſſimilarunt. Neq; aliter ſentit Auguſtinus, qui *lib. de Sanct. Virg.* vocat ebrium ſui omninò neſcium; &, quando inquit ſomnum non tollere vim ſentiendi, vel intelligendi, loquitur de potentia, non de operatione. Hominis proprium eſt ratiocinari, & operari deliberatè, juxta doctrinam Divi Thomæ, & Theologorum *p.2.q.p.*, quod non competit ebrio, atq; dormienti. Et quamvis verba ſic prolata, ex eo quod fuerunt prævifa, poſſint dici libera in cauſa denominativè, adhuc apta non ſunt ad humanam mentem exprimendam, internumq; animi conceptum, ut diximus.

Ad tertium, verum non eſt dormientis, ebriique voces, & verba ſufficere ad conficiendum Sacramentum; de hac re videri poſſunt Theologi, *in materia de Sacramentis*; ſicuti nec ſufficiunt ad recitandum Officium, exindè inſufficientia erunt ad conſtituendum aliquem Hæreticum externum.

SECTIO VII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui hæreſim ſuam internam manifeſtavit per ſignum externum, quod non ſit peccatum mortale.

VIdetur Hurtado *diſp.* 83. §. 22. non poſſe, inquantum quod vult ſic manifeſtantem propriam hæreſim eſſe excommunicatum. *Primò*: Quotiès in hæreſi interna graviter peccatur, incurritur cenſura excommunicationis, & pœna, quomodocumque illa manifeſtetur, etiamſi in manifeſtatione nullum ſit peccatum; ſiquidem eo ipſo, quòd hæreſis intrà mentem non maneat, Homo efficitur hæreticus externus. Igitur ab hæreſi manifeſtata per actionem, non mortaliter peccaminoſam, Confeſſarius quilibet abſolvere nequit.

Secundò: Explicari non poteſt, an malitia, quæ in ſententia contraria deſideratur, in ſigno externo hæreſis manifeſtativo, eadem cum deformitate aſſenſus interioris eſſe debeat, vel diverſa; cum enim utraque malitia eſſet contrà Fidem, fore videtur eandem: At cum diverſimodè Fidei opponatur aſſenſus interior, atque ſignum exterius, deberet eſſe diverſa. Melius ergo dicitur non eſſe neceſſariam deformitatem aliquam in ſigno externo hæreſis expreſſivo; idcircò Hæreticum mentalem, per quodcumque ſignum hæreſim ſuam manifeſtet, eſse excommunicatum, nec abſolvi poſse à quolibet Confeſsario.

Tertiò. Si in Civitate, in qua libera eſt Religio, Princeps Judæus præcipiat,

Digitized by Google

cipiat, certo ſigno externo uti, Chriſtianuſq; aliquis ibi ad Judaiſmum tranſeat, iſte abſq; novo peccato poteſt, imò debet, cum aliis Judeis Principi obedire, utendo tali ſigno, & in hoc non peccat, ſed per ſignum iſtud fieret apoſtata externus, ac manifeſtus, cenſuriſque ſubjaceret. Quapropter actio externa ſine novo peccato ſufficit ad conſtituendum hereticum, vel apoſtatam exteriorem, qui à quolibet Confeſſario abſolvi nequeat.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt ab hereſi externa manifeſtata ſolùm per ſignum, quod non eſt mortaliter peccaminoſum. Aſſertionem iſtam tueri debent omnes Scriptores, qui dicunt, hæreſim non fieri externam, niſi per actum mortaliter malum; hi autem ſunt Suarez *de Fide, diſp.* 21. *ſect.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 8. Souſa in aphoriſ. *lib. pr. cap.* 15. *num.* 7. ubi alios refert, Salelles *lib. pr. cap.* 12. *num.* 41. & ferè communiter ſcribentes in hac materia. Certum eſt, Hæreticum mentalem, qui adhuc hæreſim propriam non manifeſtavit, à quolibet Confeſſario abſolvi poſſe, reſervatamque eſſe dumtaxat hæreſim externam; hocque probatum eſt ſufficienter *ſect. pr.* Ad oſtendendum autem actum, per quem aliquis conſtituatur hæreticus externus, ita ut à die manifeſtatæ hæreſis excommunicationem aliaſque pœnas contrahat, debere eſſe letaliter peccaminoſum, ſic diſcurro. Exterior hereſis expreſſio excommunicatione ab Eccleſia punitur, nec poteſt excommunicatio major imponi pro culpa levi, at ſolùm pro mortali, ut docent Enriquez *lib.* 13. *cap.* 17. Suarez *de cenſur. diſp.* 18. *ſect.* 3. Duard. in Bulla Cœne *in lib.* 2. *in Can.* 4. *qu.* 12. & eſt communis ſententia, & habetur *in Can. Nemo, & Can. Nullus* 11. *qu.* 3. ac Tridentina Synodo *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* ibi. *Aut levibus ex rebus*, & illis ex verbis. *Non aliàs, quàm ex re non vulgari, cauſaq; per Epiſcopum diligenter examinata.* Si excommunicatio levem ob cauſam incuteretur, magis eſſet in contemptum, quàm in formidinem, potiùs quam ſalutem, pernitiem pareret. Pœna debet eſſe culpe proportionata. Quis dubitat, majorem excommunicationem graviſſimam eſſe omnium pœnarum, que ſunt in Eccleſia? Ut alios Sanctos Patres mittam, hoc teſtatur Auguſt. *in lib. de corrept. & gratia*, Tertull. etiam *in Apoleg. cap.* 39. & Anther. Papa *epiſt. unic.* fidem faciunt, excommunicationem in Eccleſia habere eum locum, quem veteri in lege habebat pœna mortis, quòd pariter ſcriptum reliquit Auguſtinus *in qu. Deuteron. qu.* 2. Non eſt ergo imponenda excommunicatio, niſi ex culpa graviſſima, & mortali, nec ſufficit ſignum leve externum hereſis manifeſtativum, ſivè leve ſit ex materiæ parvitate, ſivè ex indeliberatione. Multò minùs hereticus externus, excommunicatuſque dici poteſt, qui interna ex hereſi ad opera bona facienda

malavè

malavè omittenda inducitur; iſta enim hęreſis non ſunt, at internæ bonitatis inditia. Si per ſignum quodcumque exterius, etiam bonum mentalis hęreſis, hęreticus externus conſtitueretur ille, qui Sacramentalè in confeſſione propriam hęreſim Sacerdoti detegeret, animò ſe ſe accuſandi, excommunicationi ſubjaceret, quod aſſerere eſt abſurdiſſimum, ut docent Simanc. *de Cath. inſtit. tit.* 42. *num.* 9. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 9. & plerique, quos refert, ac ſequitur Delbene *dubit.* 49. *petit.* 4. *num.* 11. aliàs nuſquam hęreticus mentalis abſolvi poſſet ab hoc tam gravi crimine, cum pœnitens abſolutionem recipere non poſſit, niſi hęreſim confiteatur: Et hoc idem argumentum fieri poteſt de eo, qui hęreſim coram Inquiſitore, vel amico, aut viro docto gratia petendi conſilium, patefaceret, in his namque caſibus, proferentem hæreſim ſuam, non eſſe excommunicatum, volunt quamplures, & in ſpecie de amico, Salelles *num.* 50. & de Doctore, Serra 22. *qu.* 11. *art.* 3. *dub.* *viii.* dummodò hęreticus hoc faciat, ut inſtruatur in fide, paratuſque ſit corrigi ab Eccleſia, quia actus ille exterior interrogandi, & ſuam mentem aperiendi, ab interiori hęreſi non procederet, nec eſſet illius proteſtativus; de exprimente autem ſuam hęreſim coram Inquiſitore, Souſa *in Aphoriſ. lib. p. cap.* 15. *num.* 7. Confeſſarius ergo abſolvere poteſt hęreticum mentalem, qui errorem proprium non expreſſit per ſignum externum mortaliter peccaminoſum.

Ad primum reſpondetur, ad conſtituendum Hęreticum externum non ſufficere grave peccatum in hęreſi interna, ſed non ſolùm etiam requiri circa externam, neq; ſatis eſſe, hęreſim aliquo modo eſſe notam externè, aliàs detegens hęreſim propriam Confeſſario, Amico, Doctori, vel Inquiſitori, ad bonum finem, eſſet Hęreticus excommunicatus, quod communiter negant Doctores, Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 15. *num.* 7. Simanc. *de Cathol. Inſtitut. tit.* 42. *num.* 9. Azor. *lib.* 2. *cap.* 10. *q.* 5. Farinac. *de hæreſi q.* 192. *num.* 4. Pro reſponſione ad ſecundum mitto Lectorem ad ea, quę ſcribunt Theologi de bonitate, ac malitia humanorum actuum, & de vitiis, & peccatis, ibi enim diſputatur de qualitate malitia actus interioris, & exterioris, imperantis, & imperati.

Ad tertium ſatisfacit Card. de Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 2., illum, qui ſolis internis ad Judaiſmum tranſiſſet, non teneri eo ipſo lege utendi ſigno illo, Judęorum proprio, quando quidem Principis mens eſſet obligare ſolummodò eos, qui externam Judaiſmi profeſſionem faciunt, non illos, qui ſola mente judaicam perfidiam profiterentur; imò Princeps ſubditos obligare nequit ad manifeſtanda cordis arcana exteriori ſigno.

SE-

SECTIO VIII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab hæreſi interna, manifeſtata, non locutione, ſed opere, vel omiſſione.

VIdetur poſſe. *Primò*. Si ex facto procedente ab hæreſi interiori, quis dici poſſet hæreticus, cenſuris, aliiſq; pœnis ſubiectus, ex fornicatione externa, procedente ex errore, quo licita putatur, fornicator hæreticus argueretur; quod tamen non conceditur à Doctoribus, quos citat, ac ſequitur Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 8. *nu.* 15. Igitur manifeſtans hæreſim ſuam, ſolo facto externo, quolibet à Confeſſario abſolvi poteſt.

Secundò. Ex factis, omiſſionibuſvè non poteſt aliquis prudenter arguere internum operantis, vel omittentis errorem. Quis judicare poteſt Hæreticum manducantem carnem in diebus vetitis, jejunia Eccleſiaſtica non ſervantem? An non ex gula etiam Catholici laxioris conſcientiæ ſolent eſſe intemperati? Forſan quis cenſeri poteſt hæreſis labe infectus, qui ob interni erroris motivum, templum non ingreditur, coram SS. Euchariſtiæ Sacramento non genuflectit? Hoc negant quamplures apud Riciullum *lib.* 5. *de jure perſon. cap.* 9. Quapropter facta, vel omiſſiones non ſufficiunt ad conſtituendum aliquem Hæreticum externum, & in ſtatu, ut à Confeſſario quolibet abſolvi nequeat.

Tertiò. Significatio videtur propria verborum, quæ definiuntur, quòd ſint *voces ſignificativæ ad placitum*; & hoc docet Auguſt. *lib.* 2. *de Doctrina Chriſt. cap.* 3. per hæc verba. *Verba enim prorſus inter Homines obtinuerunt principatum ſignificandi quæcumq; animo concipiuntur, ſi ea prodere quiſque velit*. Cum igitur res, facta, & omiſſiones nequeant eſſe ſigna hæreſis internæ, per ipſa non fit aliquis Hæreticus externus, excommunicationiq; ſubiectus, itaut ab omni Confeſſario approbato abſolvi non poſſit.

Reſpondeo. Non poteſt Confeſſarius quilibet abſolvere ab hæreſi interna manifeſtata factis, omiſſionibuſq; talibus, quæ ſufficiant ad Hæreticum externum conſtituendum. Favere debent aſſerto huic Scriptores omnes, qui ſentiunt, per commiſſiones, ſeù facta, & omiſſiones, ex quibus hæreſis præſumptio oritur, aliquem fieri Hæreticum externum: quod docuerunt Julius Clarus §. *hæreſis nu.* 24. Ugolinus, Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 15. *nu.* 11. Salelles *lib. p. cap.* 12. *nu.* 37. & communiter alii. Oſtendendum eſt prius, exteriora

opera,

opera, factavè poſſe indicare internam hæreſim, hujuſq; præſumptionem inducere. Sicut bona, vel mala arbor, ex fructibus cognoſcitur, ità Homo, an ſit bonus, vel malus, ex ejus operibus intelligitur; teſte Rabano relato ab Angelicò *in Catena Aurea Matth. 7. ſuper illud.. Non poteſt autem arbor mala bonos fructus facere, neq; arbor bona malos fructus facere*; inqut enim, *Homo autem ipſe arbor bona, vel mala dicitur, propter voluntatem bonam, vel malam. Fructus autem ſunt opera, quæ nec bonæ malæ voluntatis eſſe poſſunt, nec mala bonæ voluntatis.* Clemens V. *in Concilio Vienen.* & habetur *in Clement. Exivi de Paradiſo, de verb. ſignif.* ad rem noſtram. *Cum enim ad veritatem vitæ pertineat, ut id, quod exteriùs agitur, interiorem mentis diſpoſitionem, & habitum repreſentet*; & non minus apertè Angelicus 2. 2. *q.* 111. *art. p. Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem ſe exhibeat exteriùs per ſigna exteriora, qualis eſt.: ſigna autem exteriora non ſolùm ſunt verba, ſed etiam facta*. Neq; diſſimiliter Ambroſ. *in ſerm. de Abraham.: Non ſolùm in falſis verbis, ſed etiam in ſimulatis operibus mendacium eſt. Mendacium namq; eſt, ſe Chriſtianum dicere, & opera Chriſti non facere*. Undè etiam ex factis hæreticalibus mentalis hæreſis argui poteſt, ſi interiora animi per exteriora demonſtrantur. Et ut ad aliqua in ſpecie deſcendamus, rebaptizare, ac veſci carnibus diebus prohibitis abſq; cauſa excuſante, ſi ex hæreſi circà baptiſmum, vel jejunium procedant, Hæreticum rebaptizantem, manducantemq; demonſtrant, per ea, quæ tradunt Riciull. *ubi ſuprà*. Ugolinus, & alii, dummodò caro non ſit in modica quantitate; quæ ad peccatum mortale non ſufficiat, tunc enim non eſſet ſignum manifeſtatiuum hæreſis, quamvis ſingulis diebus prohibitis modicam quantitatem carnis quis comederet, ut ſentiunt iidem; & nonnulli alii Scriptores, quos refert Delbene *dubit. 13. ſect. 17. à nu. 16.*; vel niſi attentis circumſtantiis, potius ignorantiæ, oblivionis, aut alterius cauſæ juſtæ, quàm hæreſis præſumpsio ſit. Facta omnia, quæ fidei proteſtativa ſunt Sectarum Hæreticorum, reddunt operantem Hæreticum externum; ſed quia noſtri non eſt inſtituti præſentis in medium proferre omnia facta, ex quibus dignoſci poteſt animus hæreticus, malaq; credulitas, mittimus Lectorem ad ea, quæ ſcripta reliquit Pegna in hac materia *part. 3. Direct. comm.* 24., & videri etiam poteſt Royas *part. p. de hæret. à. n.* 276. ubi rem hanc luculenter pertractat. Ex commiſſionibus, omiſſionibuſq; manifeſtari poſſe hereſim internam edocvit Cajet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *§. Ex his ſiquidem*, dum dixit. *Sumendum tibi eſt, quod licèt occultiſſima per accidens, & actus interiores, ut rationes commiſſionum exteriorum, vel omiſſionum, ſubjaceant Eccleſiæ judicio, & cenſuris*. In particulari autem de omiſſione, Toletus

Digitized by Google

in Sum. in expoſit. Bullæ Cœnæ, excom. p. num. 10. Salelles *lib. p. cap.* 12. *nu.* 40., & alij), qui docent, omiſſionem ingrediendi templum, aut genuflexionis, dum Euchariſtia elevatur, hæreſim internam ſufficienter manifeſtare, ac Hæreticum externum conſtituere, quod verum eſt, ſaltem cum quibuſdam circumſtantiis. Haud inefficaciter ſuadeo veritatem iſtam ex doctrina S. Doctoris 2.2. *q.* 3. *art.* 2., inquientis, aliquem peccare poſſe contrà Fidem, ut continet præceptum affirmativum, per omiſſionem confeſſionis Fidei, quando ſubtrahitur honor debitus Deo, & utilitas proximo impendenda. En ipſius verba. *Sic ergo confiteri Fidem, non ſemper, nec in quolibet loco eſt de neceſſitate ſalutis, ſed in aliquo loco, & tempore, quando videlicet per dimiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda.* Supponamus, interrogatum de Fide, ex motivo hæreſis interioris tacere tempore quo, exteriùs Fidem confiteri teneretur. Nonnè hujuſmodi omiſſio ad indicandum, perſuadendumque hæreticum animum omittentis ſufficiens eſſet? Pro certo habet Angelicus, tali ex omiſſione judicari poſſe omittentem Hæreticum, ac Infidelem, ſcribit namque, *Puta, ſi aliquis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet Fidem, vel quòd Fides non eſſet vera.* In aſſertionis hujus confirmationem referre poſſumus Cajetani quoddam placitum, nimirum, quòd ſi alicubi eſſet lex, ut Chriſtiani certum ſignum afferrent, quo à non Chriſtianis diſcernerentur, ille, qui tali ſigno ad mortem effugiendam non uteretur, lethaliter peccaret. In hac ſententia, ex ſigni omiſſione, imperatâ ab hæreſi interiori, ſufficienter pro non Catholico, ſeù non Chriſtiano, demonſtraretur, & idem eſt, ſi præceptum de tali ſigno utendo fieret Catholicis, ut ab Hæreticis diſcriminarentur. Propterea aſſerendum, non ſolùm verbo, ſed opere etiam, & omiſſione aliquem fieri Hæreticum externum, hæreſis autem externa eſt Pontifici in Bulla Cœnæ reſervata, ſi ex interiori procedat, nec ab ea Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt.

Ad primum, non ex quolibet facto arguendus eſt quis Hæreticus, at ex illis dumtaxat, ex quibus ex natura rei, vel poſitis quibuſdam circumſtantiis, hæreſis præſumptio oritur; inter quæ non connumeratur fornicatio exterior, etiam ab interiori errore credentis ipſam licitam eſſe, exorta; ſiquidem frequentius, & communius ab aliis cauſis procedit, hinc nos in S. Officio ipſam non habemus pro delicto hæreſis ſuſpicionem inducente. Vivald. *Candel. Sacram. part.* 2. *in Bulla Cœnæ, num.* 2. Salelles *num.* 39., aliique.

Ad ſecundum patet reſponſio ex dictis, nimirum ex carnis eſu in diebus prohibitis, non ingreſſu in Templum, & non genuflexione coram

San-

Digitized by Google

Sanctiſſimo Sacramento, poſitis talibus circumſtantiis, argui poſſe ſufficienter animi malam credulitatem. Nihilominus nos non reſtringimus aſſertionem noſtram ad iſta facta, vel omiſſiones, & ſolùm docemus, ex quibuſdam factis, illis videlicet, ex quibus hæreſis præſumptio oritur, hæreticum mentalem ſuam hæreſim manifeſtare; quandoquidem qualitas factorum intentionem, animum, & voluntatem demonſtrat. *L. Quod ait lex ſ. Illud rectiſſimè, ff. de Divort.*; Et plus eſt factis aliquid demonſtrare, quàm verbis enucleare. *L. Reprehendenda C. de Inſtit.*, *& Subſtit.* Undè fortiora eſſe facta ad animum demonſtrandum, quam verba, habetur in *l. Noſtram proviſionem C. de Teſtam.* Videatur Archidiac. *Cap. Quicumq; de hæret. in 6.*

Ad tertium, mens Auguſtini in illo loco eſt oſtendere, inter ſigna principatum obtinere verba, nec aliud probat auctoritas inducta; non verò negare omninò rebus, factiſvè ſignificationem, quinimò hanc expreſsè illis concedit, inquiens. *Signorum igitur, quibus inter ſe Homines ſua ſenſa communicant, quędam pertinent ad oculorum ſenſum, pleraq; ad aurium, pauciſſima ad cæteros ſenſus. Nam cum innuimus non damus ſignum, niſi oculis ejus, quem volumus per hoc ſignum voluntatis noſtræ participem facere. Et quidam motus manuum pleraque ſignificant, & hiſtriones omnium membrorum motibus dant ſigna quędam ſcientibus, & cum oculis eorum quaſi fabulantur. Et vexilla, draconeſque militares per oculos inſinuant voluntatem ducum.* Paulò poſt. *Nam & odore unguenti Dominus, quo perfuſi ſunt pedes ejus, ſignum aliquod dedit, & Sacramento Corporis, & Sanguinis ſui prægustato, ſignificavit, quod voluit. Et cum mulier tangendo fimbriam veſtimenti ejus, ſalva facta eſt, nonnihil ſignificavit.* Videri etiam poteſt Divus Thomas *p. part. q. p. art. 10.*, ubi loquitur de ſenſibus Sacr. Scripturæ, & inquit, proprium eſſe Sacræ Theologiæ, quod ipſę res ſignificatę per voces ſignificent aliquid.

SECTIO IX.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui volens externè manifeſtare errorem, quem habet in mente circà Incarnationem, præter intentionem ſuam, non hunc, ſed errorem, quem fovet in corde circà Trinitatem, exterius exprimit.

VIdetur non poſſe. *Primò*. Sentiunt communiter Doctores, Titium volentem percutere Titium Clericum, ſi caſu, vel per ignorantiam, Sempronium Clericum feriat, vinculo excommunica-

Digitized by Google

tionis innodari. Cur ergo ſimiliter ille, qui intendens unam hęreſim manifeſtare, ſi caſualiter, ignoranter, inconſideratevè aliam exprimat, non erit excommunicatus Pontificia excommunicatione, in Bulla Cœnę reſervata?

Secundò. Si quis credens Chriſtum non eſſe Hominem, dicat non eſſe riſibilem, ſufficienter hęreſim externè profert, eſtq; verus Hęreticus externus Sanchez *lib. 2. in Decal. cap.* 8. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 15. *nu.* 9. Igitur à pari, qui credit, Deum non eſſe Incarnatum, ſi proferat, Deum non eſſe Trinum, erit ſufficienter Hęreticus externus, ideòq; à Confeſſario quolibet abſolvi non poterit.

Tertiò. Hęreticus in caſu noſtro verè exprimit hęreſim, quam fovet interiùs; & quamvis prolatio hęreſis circa Trinitatem ab initio voluntaria non fuerit; tamen ſatis probabile eſt, prudenterq; pręſumi poteſt, voluntariè fuiſſe à proferente acceptatam. Nihil ergo deeſt ipſi, ad hoc, ut Hęreticus ſit externus, excommunicatus, & abſolvi non poſſit à Confeſſario quolibet.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt illum, qui volens externè hęreſim, quam habet in corde circà Incarnationis Myſterium manifeſtare, pręter intentionem ſuam, errorem, quo infectus eſt, contrà Trinitatem profert. Bardus *in ſelect. lib.* 6. *q.* 7. *nu.* 4. Diana *part.* 11. *tract.* 7. *reſol.* 19. Vincentius Ferre. *de Fide tract.* 2. *q.* 14. *§.* 3. *nu.* 15., & alii, docentes in hoc caſu Hęreticum internum non fieri externum, neq; excommunicationis cenſuram, ob quam ipſius hęreſis reſervata ſit, incurrere. Ratio eſt, quia ad hoc, ut quis Hęreticus internus hęreſim propriam in faciem Eccleſię exprimat, excommunicatuſq; ſit, eſt neceſſe, ut liberè, voluntariè, & ex intentione illam proferat; qui autem vult exprimere errorem ſuum circa Incarnationis Myſterium, & præter ſuam intentionem prodit hęreſim circà Trinitatem, liberè, ac voluntariè hereſim non pandit, ſiquidem licèt volverit deliberatè ilam manifeſtare, nihilominus talis expreſſio, prout eſt manifeſtatio erroris interni circà Trinitatem, non eſt libera: Undè hæreſis externa dici nequit. Explicemus rem iſtam diſcurſu ſequenti. Iſte de, quo loquimur, vel eſt Hęreticus, & excommunicatus propter hęreſim externam oppoſitam Fidei Catholicę circà Myſterium Incarnationis, vel ob hęreſim externam Myſterio Trinitatis contrariam. Non primum, quoniam error, quem ipſe habet circà Incarnationem, eſt purè mentalis, nec aliquo modo manfeſtatur; ſignum enim exteriùs prolatum aſſertionem, confeſſionemq; hujus hęreſis non continet, quod tamen ad hęreſim externam deſideratur, ut ſcribunt Sanchez, Carena,

Salel-

Digitized by Google

Salelles, & alii. Neq; dici poteſt ſecundum, quandoquidem, licèt verba prolata apta ſint ad exprimendum internum mentis conceptum, erroremq; contrà Trinitatem, ſtamen ex intentione exprimendi errorem hunc expreſſa non fuere, & in ordine ad talem manifeſtationem hęreſis interna circà Trinitatem omninò per accidens, & de materiali ſe habet: Cumq; Doctores ſcribant, neceſſe eſſe actionem exteriorem hęreſis ſignificativam fieri ex intentione exprimendi hęreſim interiorem, quam ſignificat, & nos ſuperiùs hac eadem ratione negaverimus, verba prolata ab ebrio, vel dormiente non ſufficere ad hęreſis manifeſtationem, quia nimirum humano more ab interiori hęreſi non proveniunt, conſequenter aſſerendum eſt, ex dictis verbis expreſſivis hęreſis contrà Trinitatem, pręter intentionem expreſſis ab eo, qui hęreſim contrà ſuam Incarnationem manifeſtare intendebat, non reddere externam hęreſim circà Myſterium Trinitatis. Illuſtro diſcurſum à pari. Si quis haberet intentionem baptizandi, & ex tali intentione putans proferre Baptiſmi formam, *Ego Baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, preter intentionem ſuam verba conſecrationis proferret, *Hoc eſt enim Corpus meum*, tàlis Sacràmentum Euchariſtię non conficeret, quàmvis adeſſet Panis, materia Sacramenti Euchariſtię; & hoc quia, licèt iſte haberet intentionem conficiendi Sacramentum, & ex hujuſmodi intentione verba protulerit, tamen ipſius intentio erat circà Sacramentum Baptiſmi, non Euchariſtię, & forma Sacramenti hujus expreſſa non fuit ex intentione conſecrandi. Sic in caſu noſtro, tametſi Hæreticus habeat intentionem exprimendi hæreſim, & hac intentione loquatur verbis ſignificantibus, tamen, quia non proferuntur ex intentione manifeſtandi hæreſim circà Trinitatem, quam ſignificant dici nequit externa hæreſis iſta circa Trinitatem. *Demum*. Certum eſt, hæreſim, non minus factis, quàm verbis, externam reddi, quia exteriora indicant ſecreta animi interiora; *L. Si tamen ſine culpa §. ei qui ſeruum, ff. de ædil. edict.* ibi *Multò enim amplius eſt id facere, quàm pronunciare*; & hoc probavimus *ſect. præced.* Si aliquis ex intentione manifeſtandi errorem, quem habet circà fornicationem, carnes comederet, præter intentionem ſuam exerçendo unum actum pro alio, non per hoc manifeſtaret externè hæreſim, quam fovet circà jejunium; idcircò idem erit dicendum in caſu noſtro, atq; ideò iſte à Confeſſario quolibet abſolvi poterit, cum non ſit Hæreticus externus.

Ad primum, nonnulli dicunt, percutientem caſu, vel per ignorantiam, in caſu adducto Sempronium, excommunicatum non eſſe; quia talis percuſſio hìc, & nunc, prout exercetur contrà Sempronium, non

Digitized by Google

non eſt voluntaria; proindè in ordine ad ipſum non eſt mortaliter peccaminoſa; dummodò præceſſerit ſufficiens diligentia, ne læderetur Sempronius; & licèt mortalis eſſet, quatenus ex prava voluntate percutiendi Cajum procederet, tamen cum effectu non fuit læſiva Caji. Diana *part.* 11. *tract.* 6. *reſol.* 19. ubi allegat Palaum *tom.* p. *tract.* 2. *diſp.* p. *punct.* 17. *num.* 3. Suarez *de Cenſur. diſp.* 22. *ſect.* p. *num.* 54. Bonacina *de Cenſ. diſp.* p. *q.* 3. *punct.* p. *num.* 20. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 32. *num.* 27. Sed Palaus loquitur, caſu, quo aliquis ſagittam projiciat animo occidendi Cajum, & caſu Sempronium occidat; vel percutiat; & ſubdit: *Secus dicendum, ſi non caſu, ſed ex voluntate occidat Sempronium, credens eſſe Cajum*; quia tunc illa percuſſio eſt voluntaria, quatenus Sempronii, nec diverſimodè loquitur Sanchez cum aliis: Fagnanus *Cap. Ad audientiam de homic. volunt. num.* 70. dicit; percutientem in caſu noſtro eſſe excommunicatum, & hanc ſententiam eſſe communem, teſtatur Diana, *loco cit. in corpore ſect.* Neganda igitur eſt paritas, ſiquidem percutiens in caſu noſtro, & habuit intentionem, & de facto percuſſit, quem eſſe Clericum non ignorabat, propterea talis actio habuit totum id, quod expoſcitur, ut cenſuræ excommunicationis latæ in Canone, *Si quis ſuadente Diabolo*, ſubiecta ſit. In caſu noſtro actio externa non habet totum id, quod deſideratur ad hæreſis manifeſtationem, cum ex hæreſi interiori non proveniat.

Ad ſecundum, eſt diverſa ratio, ſiquidem ex hoc, quod quis dicit, Chriſtum non eſſe riſibilem, ſufficienter exprimit hæreſim, quam habet circa humanitatem Chriſti, cum per neceſſariam conſequentiam inferatur, Chriſtus non eſt riſibilis, igitur non eſt Homo; At ex hæreſi circa Trinitatis Myſterium non panditur, aut arguitur error circà Incarnationem, non tenet illatio, Deus non eſt Trinus. Ergo non eſt Incarnatus.

Ad tertium, patet reſponſum ex præhabitis, nimirum, hæreſim, quam fovet exprimens, non eſſe prolatam ex vi hereſis interioris, ſicuti ad conſtitutionem Hæretici externi deſideratur. Si poſteà ratum habeatur id, quod præter intentionem exciderat, concedimus exprimentem fieri Hæreticum externum, necnon in foro conſcientiæ Hæreticorum pœnas incurrere, eò quod, licèt illa prolatio ab initio voluntaria non fuerit, tamen deinceps voluntariè ab eo acceptata fuit.

SE-

SECTIO X.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit eum, qui hæreſim externam protulit, & poſteà dubitavit, num prolationis in actu mente conſenſerit?

VIdetur Bartholomæo Fumo *in ſua Sum. Armilla*, *v. Caſus nu.* 13. Sanchez *in Sum. tom. pr. lib. pr. cap.* 10. *num.* 34. Alphonſo de Leone, *de poteſt. Confeſſar. part. pr. recollect.* 15. *num.* 15., quos ſequitur Frias *tract. de modo aud. Confeſſ. part.* 2. *cap.* 8. *caſ.* 2., non poſſe. *Primò*. Quando eſt præſumptio fori pro veritate peccati commiſſi. peccatum illud reſervatum eſt, quando enim de veritate non conſtat, forum internum ſequitur externum. In noſtro caſu ſtat præſumptio pro hæreſi, quia cum verba ſint naturaliter ſignificativa internæ conceptionis, niſi de oppoſito conſtet, non præſumitur, proferentem aliud ſenſiſſe interiùs, & aliud, ſeù alio modo exteriùs locutum fuiſſe, ut colligitur *ex l. labeo*, *v. Id tubero*, *ff. de ſupell. leg.* Et in foro externo talis Homo Hæreticus cenſetur. Igitur non poteſt per quemlibet Confeſſarium abſolvi.

Secundò; Si quis Clericum percutiat, dubiumq; oriatur, an percuſſio gravis ſit, ideòq; reſervata Pontifici, vel levis, à qua Epiſcopus abſolvere poſſit, in tali caſu Epiſcopus abſolutionem impartiri nequit, ut habetur *in Extravag. Perlectis*, nondum Typis data, de qua Molin. *tract.* 3. *de juſt. & jure diſp.* 57. Idem erit dicendum in caſu, de quo loquimur, maximè quia, in dubiis tutior pars eſt eligenda, juxtà regulam, quę ex variis juribus colligitur, ut advertit D. Antonin. *p.p. Theol. tit.* 20. *reg.* 16. Sylveſt. *v. Dubium*, *num.* 4. *& v. Homicidium* 3. *q. p. reg.* 2. Navar. *in Cap. Conſideret*, *de pœnit. diſt.* 7. *à num.* 25.; dicente etiam Auguſtino, ut habetur *ex cap.* 2. *de pœnit. diſt.* 7. *Tene certum*, *& dimitte incertum*.

Tertiò: In jure extenditur irregularitas ad homicidium dubium; & in Decreto Clem. VII., contrà privilegia Regularium, reſervantur caſus Bullę Cœnę, quamvis dubii ſint, ſivè juris, ſivè facti. Proptereà, licèt hęreſis dubia ſit, Summo Pontifici reſervata cenſetur, & non poteſt ab ea Confeſſarius quilibet abſolvere.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt illum, qui, poſtquam externam hęreſim protulit, dubitat, an prolationis in actu mente conſenſerit; & in quocumq; caſu hęreſis dubia eſt. Diana *part.* 3. *tract.* 3. *reſol.* 4., aliiq; plures, quos citat, ac ſequitur Card. de

de Lugo, *de Sacram. Pœnit. diſ. 20. ſect. 2. num.* 18. Caſuum reſervatio odioſa eſt, ſtrictæq; interpretationis, idcircò appellatione caſus reſervati non venit caſus dubius, dubietate juris, factivè. Sylveſt. *v. Caſus q. p.*, ac alii apud Delbene, *diſp.* 13. *ſect.* 18. Cur ergo cenſenda eſt reſervata hæreſis, de qua dubium eſt, num ex animo, ac mente fuerit exorta, veraq; hæreſis? Crimen non intelligitur, niſi demonſtretur, neq; in dubio delictum præſumitur, quapropter jura omnia in dubio facti reo favorabiliora ſunt, damnariq; non poſſe volunt, niſi delictum per probationes luce meridiana clariores probetur: *Cap. Sciant cuncti* 2. *q.* 8. per hæc verba: *Sciant cuncti accuſatores, eam rem ſe debere inferre in publicam notionem, quæ munita ſit teſtibus idoneis, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indiciis ad probationem idoneis, vel indubitatis, & luce clarioribus expedita.* Reſponſum mihi dabis, hæc veritate gaudere pro foro externo. Optimè, ſed audi: Cenſendus nè erit Eccleſiaſticis pœnis, excommunicationiq; in foro conſcientiæ ſubiectus ille, qui ſua in conſcientia certus non eſt, ſe deliquiſſe; quando Judex non cogitur imponere pœnam per ſententiam imponendam, donec ſuo in foro certus non ſit de delicto? Militat utrobiq; videlicet utroq; in foro, eadem ratio, ſcilicet poſſeſſio liberatis propriæ, quando certò de delicto non conſtat, Undè Trullench. *lib.* 2. *in Decal. cap. p. dub.* 17. *nu.* 16. dicit, quòd ille, qui dubitat, an excommunicationem contraxerit, poteſt ſe gerere, tanquam non excommunicatum, nam, facta debita diligentia, ſuam poteſt poſſidere libertatem. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 4. *punct.* 7. *n.* 15. Et ſicut in foro externo preſumptio ſtat pro libertate, & excluſione delicti, ſeù poſſeſſione bonæ famæ, ſic in interno, quando quis in conſcientia eſt dubius, an commiſerit crimen aliquod reſervatum, tutè poteſt ſe gerere, ac ſi tale peccatum reſervatum non eſſet, ratione excommunicationis. Sanchez, qui contrà aſſertionem noſtram ſentit, *lib.* 4. *in Decalogum ſcripſit*, *cap.* 44. *num.* 3. & *cap.* 40. *nu.* 26. quòd licèt præſumptio ſtet pro voto, in dubio tamen de intentione, etſi votum, ob illam præſumptionem obliget, non tamen eſt reſervatum, cum non ſit certum. Cur igitur hæreſis, quæ dubia eſt, quantùm ad internum animi conſenſum, reſervata erit Summo Pontifici in Bulla Cœnæ? Quando mens Pontificis eſt ſibi reſervare crimina dubia, & illis non obſtante dubietate, cenſuram annectere, hoc exprimit, ſicut jus diſpoſuit, in dubiis pro certis caſibus judicandum eſſe pro irregularitate, ut *Cap. Significaſti*, & *Cap. Ad audientiam*, *de homic.*, videriq; poſſunt plures alii Textus apud Suarez *de Cenſ. diſp.* 40. *ſect.* 6., ubi latè difficultatem hanc de irregularitate in caſibus dubiis. Et Clemens VII. *in Decreto contrà*

trà

trà privileg. Regul., volens ſibi reſervare caſus Bullæ dubios, appoſuit clauſulam. *Quamvis ſint dubii, ſivè juris, ſivè facti*; quando vero nolvit dubios comprehendere, in poſteriori decreto, prioris moderatorio, dictam clauſulam abſtulit. Cùm ergo non ſit expreſſum, hæreſim dubiam ſecum cenſuram ferre dicendum eſt non cenſeri reſervatam, ac proindè Confeſſarium quemlibet ab eadem abſolvere poſſe. Si tamen pœnitens poſteà, re melius examinata, dubium deponat, recordeturq;, ſe hæreſim reſervatam habviſſe, Pœnitentem conſulerem, ut pro abſolutione ad eum, cui reſervata eſt, recurreret, non obſtante, quòd jam de hæreſi abſolutus fuerit, quando illam ſub dubio confeſſus eſt; quidquid in contrarium alii ſcribant.

Ad primum dicitur, in foro externo, quando conſtat de dubietate delicti, favorem ſtare pro reo, ut diximus, & probat regula illa. *Cum ſunt partivim jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori, Cap. Cum ſunt. de reg. jur. in 6.*, & deſumitur *ex l. favorabiliores ff. eod. tit.* At quando non conſtat de dubietate, nec præſumitur, ſed potius præſumitur, contrarium, tunc delictum ex ſe dubium punitur. In hoc foro verba intentionem probant, nec creditur dicenti, ſe non prębviſſe conſenſum internum, aut dubitare, an eundem pręſtiterit; ideòq; ſic dubitans punitur, & Hęreticus cenſetur. Non ſic eſt interno in foro, in quo contrà pręſumptionem, in verbis fundatam, aliquid ejus vim infirmans affertur, ſcilicet conſcientia, teſtimoniumq; pœnitentis dicentis, ſe dubitare, an conſenſum internum prębuerit, & Pœnitenti in foro pœnitentiali creditur. Videri poſſunt, quę ſuprà *ſect.* 2. tradidimus.

Ad ſecundum, in adducta Extravag. *Perlectis*, expreſsè reſervatur Clerici percuſſio, etiamſi dubium ſit, an ſit gravis, & in priori Clem. VII. decreto contrà Regulares, caſus Bullę Cœnę, etſi dubii, reſervantur, ex quibus deducitur, quod, ſi non reſerventur expreſsè, non intelliguntur reſervati. In poſteriori tamen decreto moderatorio prioris, dempta ſunt verba illa. *Quamvis ſint dubii, ſivè juris, ſivè facti*. Regula illa. *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, non debet accipi comparativè ad aliam, quę etiam ſit tuta, ſed adverſativè ad aliam, quę eſt dubia, ut docent Joan. à S. Th. *p.* 2. *q.* 12. *diſp.* 12. *art.* 4. Lao *diſp.* 4. *de Conſcient. dub.* 5., & alii; tutum autem eſt, ſi Confeſſarius abſoluat dubitantem, an in prolatione hęreſis externę internum conſenſum pręſtiterit. Ex his patet reſponſio ad tertium.

Digitized by Google

SECTIO XI.

An Confeſſarius quilibet abſoluere poſſit habentem errorem poſitiuum contrà Fidem ex ignorantia craſſa, vel etiam affectata.

Videtur Soto 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 3., aliiſq; paucis aſſerentibus, ſolam ignorantiam invincibilem excuſare, ne excommunicatio incurratur, non poſſe, in cujus ſententiæ gratiam arguitur. *Primò*. Si ignorantia ab excommunicatione excuſaret, vix dari poſſet Hæreticus excommunicatus, nam quis eſt ex Hæreticis, qui per ignorantiam non erret? Et quis non crederet, ſi ſciret, & non ignoraret, Deum eſſe, qui res credendas revelavit, ſolamq; Eccleſiam Romanam eſſe Catholicam, & veram?

Secundò. Sanctus Doctor, *quodlib.* 3. *art.* 10. *in corp.* inquit. *In his vero, quæ pertinent ad Fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri, in talibus enim ignorantia non excuſat, alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum Hæreſiarcharum: Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus erroneam opinionem ſequatur; in rebus enim dubiis non eſt facilè præſtandus aſſenſus; quinimò, ut Auguſtinus dicit in lib. de Doctrina Chriſt. Conſulere debet quis regulam Fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ auctoritate percepit*. Videri etiam poteſt idem Angelicus *q.* 8. *de malo art. p. ad* 7.

Tertiò. Voluntarium indirectum ſufficit ad peccandum contrà virtutem; quis enim ex ignorantia craſſa peccat contrà juſtitiam; & ejuſdem ſpeciei, ac rationis eſt adulterium ſcienter, & ex craſſa ignorantia commiſſum. Eadem ignorantia ſufficiens eſt ad homicidium, & furtum. Igitur ſufficit ad peccandum etiam contrà Fidem, præſertim, quia in Homine baptizato error circa res Fidei indirectè voluntarius verè Fidei opponitur, illamq; tollit, idcircò peccatum eſt infidelitatis, cumq; non ſit Judaiſmi, nec Paganiſmi, erit Hæreſis.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt illum, qui errorem poſitivum, ex ignorantia craſſa, vel etiam affectata, ob magnam negligentiam, tædiumq; addiſcendi, contrà Fidem habuit, ſed paratus erat corrigi ab Eccleſia. Delbene *dubit.* 13. *ſect.* 5., & 6., & ſe ſubſcribere debent omnes, qui ſentiunt, peccantem contrà Fidem ex ignorantia craſſa, & affectata, non eſſe Hæreticum excommunicatum,

catum nec pertinacem. Cajet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Bannes, Aragon., Serra, Vincentius Ferre. aliiq; Thomiſtæ ibidem, Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 12. Diana, pluribus relatis, *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 36. Paſſarinus, *Cap. Ut animarum, de conſt. q. p. art.* 17. *nu.* 337., ubi docet, quòd paratus ab Eccleſia corrigi Hæreticus non eſt, ſaltem quoad effectum incurrendi excommunicationem, aliaſq; pœnas juris in Hæreticos latas, quamvis Hæreticus ſit in foro interno, coram Deo, & in ordine ad pœnam æternam. Non eſt quis canonicè Hæreticus, & ad effectum incurrendi pœnas contrà Hæreticos latas, niſi pertinax ſit; clarè enim liquet, ex jure canonico pertinaciam eſſe de hæreſis ratione eſſentiali. *Clem. unic. de Sum. Trinit. §. Porro*, ibi. *Quiſquis defendere, ſeù tenere pertinaciter præſumpſerit*, unde *in Cap. Damnamus, de Sum. Trinit.*, habetur, quòd Abbas Joachim Hæreticus non fuerit, licèt in materia Fidei errorem dixerit, eò quod pertinax non fuit, ſed paratus corrigi ab Eccleſia, & ſimiliter alio in errore Guillelmus Pariſienſis cenſetur excuſatus ab hæreſi, ob pertinaciæ carentiam, ut teſtantur D. Bernard. *Serm.* 80 *in Cantica.* Hieronymus *Epiſt.* 17. Auguſt. *lib.* 4. *de Baptiſm. contrà Donatiſtas cap.* 16. idem docet. Idem Auguſtinus *lib. de util. credendi cap.* 2. diſtinguit inter Hæreticum, & illuſum, ut Hæreticus ſit, qui ob malum finem falſas opiniones ſcienter gignit, aut ſequitur; illuſus verò, qui ab altero decipitur, & ſic ex ignorantia errat. Angelicus Doctor etiam, 2. 2. *qu.* 2. *art.* 6. *ad* 2. ſcribit. *Si tamen inveniuntur non pertinaciter perverſæ doctrinæ adhærere, ſi in talibus ex ſimplicitate deficiant, non ejs imputatur*. Errans ex ignorantia pertinax dici nequit, quamvis craſſa, & affectata ſit, dummodo paratus ſit ab Eccleſia corrigi. Serra 2. 2. *q.* 11. *art. p.* Ferre. *tract.* 2. *q.* 14. *§. p. nu.* 2., quibus favet Cajet. *in ſum. v. Hæreſis*, ubi explicans pertinaciam ad hæreſim requiſitam, innuit, ad hanc expoſci Scientiam, per hæc verba. *Non ſic requiritur, tanquam non ſit Hæreticus, niſi, qui ſit inflexibilis, & immutabilis, ſed ſic exigitur, quòd Homo vult in iis, quæ ſunt Fidei ſic credere, non obſtante, quòd Eccleſia oppoſitum decreuerit, quantum ad manifeſta, aut decerneret, quantum ad ambigua*. In voluntatis actu, quo voluntas intellectum ad diſſentiendum alicui Doctrinæ Catholicæ, reſiſtendo Eccleſiæ eam docenti, & huic non ſe ſubiiciendo, pertinaciam conſiſtere, haud obſcurè deſumitur ex D. Auguſtino *lib.* 4. *de Baptiſmo cap.* 17., & D. Hieronymo *ad Galat.* 5. quotieſcumq; enim voluntas permanet in propoſito ſubiiciendi judicium ſuum judicio Eccleſiæ, pertinaciter errare Homo non poteſt. Quomodo eſſe poteſt hujuſmodi voluntas ſine Scientia, abſq; notitia auctoritatis Eccleſiæ, & Doctrinæ, quam ipſa definit? Nonnè voluntas

ſemper ſupponit notitiam ſufficientem ſui obiecti? Pertinacia igitur non ſtat cum ignorantia, neq; locum habet in eo, qui ab Eccleſia corrigi paratus eſt, quod veritatem habet etiam da affectata. *Suarez de Fide diſp.* 19. *ſect.* 3. *nu.* 18. Neceſſe tamen eſt diſtinctione uti in hac materia, ſiquidem ignorantia affectata, quædam provenit ex negligentia, vel tędio addiſcendi, & de hac intelligendum eſt, quod mox ſcripſimus, quoniam ſic ignorans Eccleſiæ auctoritatem non offendit, & poteſt eſſe paratus corrigi; alia ex intentione liberiùs peccandi contrà res Fidei, vel ex falſa opinione, quod exiſtimet, res Fidei eſſe parvi momenti exoritur, & hac ignorantia affectus, quoniam Eccleſiæ auctoritatem non parum deſpicit, eſt Hæreticus. Difficultas eſt adhuc, an cum ignorantia affectata prioris generis quis poſſit habere animum promptum ad recipiendam Eccleſiæ Doctrinam, & eſſe paratus ad hoc, ut ab Eccleſia corrigatur; ſiquidem Serra, Vincentius Ferre., aliiq; ſcribunt, vix poſſe caſum contingere. Confeſſarius in Sacramento Pœnitentiæ debet credere Pœnitenti, qui, ſi dicat, ſe fuiſſe ſemper paratum, non obſtante ignorantia affectata, ad Eccleſiæ Doctrinam recipiendam, abſolvi poteſt, cum forum Sacramentale in præſumptionibus non fundetur; niſi ignorantia eſſet affectata ad finem liberiùs peccandi in Fide, & recedendi ab Eccleſia, tunc enim abſolvi non poſſet, quoniam in foro externo, talis, ſi intentionem fateretur, eſſet propriè Hæreticus, hæreticorumq; pœnas contraheret. Canus *de locis Theol. lib.* 12. *cap.* 5. Valentia 2. 2. *diſp. p. q.* 11. *punct. p.*; neq; ipſi credendum eſt, ſi dicat non fuiſſe pertinacem, ſed paratum corrigi ab Eccleſia, propter repugnantiam facti; ſiquidem affectatur talis ignorantia ad liberiùs, & magis voluntariè recedendum ab Eccleſia, ſaltem per modum obiecti. Sunt aliqua credibilia, quæ ab omnibus fidelibus communiter ſciuntur, & de quibus in foro externo, in tali perſona nullo modo ignorantia præſumi poteſt, ſi Pœnitens horum ignorantiam fateatur, Confeſſarius debet prudenter obiicere, non eſſe veriſimile talem ignorantiam habuiſſe, cum Catholicorum quilibet talia ſciat: Si Pœnitens perſiſtat, de facto ſe hujuſmodi ignoraſſe, eidem eſt Fides præſtanda, cum in foro Sacramentali conſcientia Pœnitentis ſit teſtis.

Ad primum, quamplures ſunt, quibus Eccleſiæ Catholicę auctoritas ſufficienter propoſita eſt, quiq; ab ea ſic nota recedunt, vel ex carnis illecebris, vel licentia vitæ, divitiarum, dignitatiſvè mundanæ affectu; plures ſunt, qui affectant ignorantiam myſteriorum Fidei, ad hoc, ut liberiùs in ipſam delinquant; innumeri ſunt in partibus Angliæ, Holandię, & aliarum partium Hæreticorum, in quibus hæreſes impunè graſſantur,

qui

qui non carent notitia eorum, quæ Fides Catholica docet, & tamen, nedum non ſunt parati corrigi ab Eccleſia, ſed hanc, ipſiuſq; caput viſibile derident.

Ad ſecundum ſatisfacit Cajet. *p. p. q.* 32. *art.* 4., aliud eſſe loqui de hæreſi, aliud de Hæretico. Ad rationem hæreſis in ſe ſufficit error in his, quæ ſunt Fidei; ſed ad rationem Hęretici formaliter, ultrà hęc, pertinacia deſideratur. Divus Thomas admittit dari hęreſim ex ſimplici ignorantia provenientem, quę ſit peccatum, quoniam imputatur homini ad culpam, ſi non curet ſcire id, quod ſcire tenetur, negat tamen, aliquem eſſe Hęreticum ex ignorantia pertinaciam excludente, undè 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. ſcripſit. *Dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit, & habetur in Decreto* 24. *qu.* 3. *Cap. Dixit Apoſtolus. Si qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atq; perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem tota ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam ſunt inter Hęreticos deputandi.* Videatur etiam *q.* 8. *de malo art. p. ad* 7. Alii diſtinguunt de hæreſi theologicè, ſeù quoad rationem peccati, & de hęreſi canonicè, quantum ad effectum contrahendi, & incurrendi pœnas in Hęreticos latas; & dicunt ignorantiam craſſam, & affectatam non excuſare ab hęreſi theologicè, ſeù à peccato hæreſis; ab hęreſi canonicè ſic. Dicunt nonnulli, peccatum ex ignorantia craſſa, vel affectata contrà Fidem, non eſſe verè, & propriè hęreſim, tamen reduci ad eam, quemadmodum peccata alia reducuntur ad illam ſpeciem, cujus eſſent, ſi ſcienter committerentur. Videatur Salelles *lib. p. cap.* 12. *à nu.* 93.

Ad tertium, concedimus, voluntarium indirectum ſufficere ad peccandum contrà Fidem, ut diximus; ſolùm negamus eſſe ſufficiens ad hoc, ut quis denominetur ſimpliciter Hæreticus, ac ſubiectus pœnis, cenſuriſq; Hæreticorum. *Quia nullus denominatur ab eo* (ſunt verba S. Doctoris 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art. p.*) *quod ineſt ſibi imperfectè, ſed ſolùm, quando confirmatur in illo, ſicut non dicitur iracundus, cui ineſt paſſio iræ, ſed qui paſſibilis eſt de facili ab ea, neq;, qui habet diſpoſitionem dicitur ſanus, ideòq; neq; Hæreticus nominatur, niſi, qui in ſingulari opinione firmam habet ſtabilitatem, undè etiam competit ei nomen hæreſis, ſecundùm quod in electionem ſonat, quia quod in electione fit, quaſi ex habitu firmato procedit; competit etiam ei nomen hæreſis, ſecundùm quod latinum eſt, ab hærendo dictum, quia ſuæ opinioni vehementer inhæret. Et quia congregatio corporis myſtici per unitatem veræ Fidei primò conſtituitur, ideò Hæreticus ſecundùm nos dicitur, qui à communi Fide, quæ Catholica dicitur, diſcedit, contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem.* Subſumamus, illum, qui ignoranter à Fide recedit, non inhærere vehemēter per electionem opinion*

con-

contrariæ, & manifeſtum erit, non denominari ſimpliciter Hæreticum, ſaltem ad effectum incurrendi pœnas in Hæreticos latas, ſicuti neq; in ordine ad plures effectus legis, & pœnas dicitur ſimpliciter homicida, qui caſualiter, aut ex ignorantia aliquem occidit.

SECTIO XII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit dubium in Fide.

VIdetur, quòd ſic Malder. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *memb.* 2. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. *nu.* 13. Becano *de Fide cap.* 14. *q.* 2. *nu.* 7., aliiſq;, quos refert, & ſequitur Delbene *part. p. dubit.* 13. *ſect.* 3., negantibus dubitantem in Fide eſſe Hæreticum, quæ ſententia attribuitur etiam Cano *lib.* 12. *de locis Theol. cap.* 8., ſed immeritò, ut videbimus. *Suadetur Primò*. Ad hæreſim requiritur, quòd ſit error contrarius Fidei, ſeù aſſenſus poſitivus falſus contrà Fidem, ſed qui dubitat non aſſentit, nec diſſentit poſitivè contrà Fidem, dubium enim eſt motus rationis indifferens ad utramq; partem contradictionis. Sylveſt. *v. Dubium num. p.* Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 11. *nu. p.* & dubius in Fide eſt ille, qui circa res Fidei per actum rationis in utramq; partem contradictionis movetur. Quapropter non eſt Hæreticus.

Secundò. Si dubitantes in Fide Hæretici eſſent, & à Confeſſario quolibet abſolvi non poſſent, illi, qui ſubreptitia tentatione cogitationes patiuntur, ac ob tentationes in Fide fluctuant, Hæretici eſſent, quod tamen communiter negatur.

Tertiò. Ad hæreſim judicium expoſcitur; cum ſit error, ille autem, qui eſt dubius in Fide, nullum judicium habet, cum actum omnem ſuſpendat. Neq; obſtat, quòd per dubietatem Fides amittatur, quia iſta poteſt deperdi per aliquid, quod hæreſis non eſt, ſicut color albus, nedum per nigrum, verum etiam per medios colores, expellitur. Ergo dubius in Fide à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt.

Reſpondeo. Multipliciter quis dici poteſt dubius in Fide, nimirum, ſubreptitia tentatione, cum quaſi inopinanter advenit quædam tentans cogitatio circà credibilia, & ſic dubitans Hæreticus non eſt, imò non peccat, ſi hujuſmodi cogitationes invitus patiatur. Pegna *part.* 2. *Direct. ad Cap. Dubius, de Hæret.* Farinac. *de hæreſ. q.* 178. *num.* 98. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 11. *nu.* 5. Veritatis elucidatione, ut quando, ſuppoſita Fidei certitudine, contrariæ rationes opponuntur, ut Fidei veritas magis eluceſcat, in hoc etiam culpa non invenitur.

nitur. Pegna *ibidem*, *verſic. Secundo modo*. Farinac. *num.* 103. Souſa *num.* 6. Imperfecta adhæſione, ſicut contingit in peccatoribus, qui ſi perfectè adhærerent creditis, non ſic viverent, quaſi de Fidei veritate dubitarent, & neq; dubietas hæc ad conſtituendum aliquem Hæreticum ſufficiens eſt, Pegna *verſic. Tertio modo*. Souſa *nu.* 7. Undè ſic dubitantes à Confeſſario quolibet abſolvi poſſunt. Voluntaria hæſitatione, quando quis ſciens aliquid eſſe de Fide, de eo tamen voluntariè dubitat, ſivè æqualiter inclinet in veritatem Fidei, & in errorem contrarium, ſivè inæqualiter. Pertinaci defenſione, itaut magis inclinet in Doctrinam Fidei contrariam, & tenaciùs illi adhæret. Dubitantes de Fide iſtis duobus modis abſolvi nequeunt à quolibet Confeſſario, ſed tantùm ab illis, qui abſolvere poſſunt ab hæreſi, & excommunicatione in Hæreticos lata; ſiquidem Hæretici ſunt, ut docent D. Anton. *part.* 2. *Sum. tit.* 22. *cap.* 5. Sylveſt. *v. Hæreſis q. p.* Armilla *eod. v. nu.* 17. Cajet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. Bannes, Aragon., Serra, Vincentius Ferre., aliiq; Thomiſtæ ibidem. Turrecrem. *lib.* 4. *Sum. part.* 2. *cap.* 12. Souſa *nu.* 8. & 9. Pegna, *ubi ſuprà*, Farinac. *nu.* 90. & ferè communiter alii; neq; diſſentit Canus, qui poſtquam diſputavit ad utramq; partem, reſolvit, quòd metaphyſicè loquendo dubitatio non eſt hæreſis; at ſi moralis Philoſophiæ ſequamur leges, quæ in id ſpectat, quod frequentiſſimum eſt, hominem de veritate Catholica pertinaciter dubitantem nullum omninò habere errorem Fidei verè contrarium, prorsùs incredibile eſt; concludit autem. *Meritò igitur Eccleſiaſtici Judices, & Theologorum, & Juriſperitorum auctoritate confirmati, eos omnes Hæreticos nomine condemnat, qui de dogmate Catholico pertinaciter dubitarint.* Fundamentum præbet ſententiæ huic *Cap. p. de hæret.* ubi dicitur. *Dubius in Fide eſt infidelis*; quod deſumptum eſt *ex p. Epiſt. Decret. Sixti Pontificis I. ad omnes Chriſti fideles*, in qua ſequentia habentur. *Erant enim quidam, qui prius videbantur eſſe ex nobis, ſed non erant ex nobis: ſi vero fuiſſent ex nobis, manſiſſent utiq; nobiſcum, & non conturbaſſent fratres. Exacuerunt enim, ut ait Propheta, linguas ſuas, ſicut Serpentes venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quapropter hi reſpuendi ſunt, ſi incorrigibiles apparuerint, & vitandi, ne Domino famulantes decipiant.* Quibus verbis, ut etiam obſervat Pegna, illi apertè ſignificantur, qui à ſuſcepta Catholica Fide, Chriſtianaq; Religione receſſerant; idcircò, dum dicit, dubius in Fide eſt infidelis, non loquitur de infideli tantùm præſumptivè, ſed verè, ac realiter. Fides ambiguitatem non admittit, ut omnimoda certitudine gaudet. *Hæc eſt Fides Catholica* (verba erant Athanaſii in Symbolo], *quam niſi quiſq; fideliter, firmiterq; crediderit, ſaluus eſſe*

non

non poterit. Simile habetur *cap.p. de Summ. Trin. & Fide Cath. in 6. Hoc professa eſt hactenus, prædicavit, & docuit hoc firmiter tenet, & prædicat, profitetur, & docet Sacroſ. Rom. Eccl.* SS.PP. idem teſtati ſunt. Aug. *lib.* 8. *de Trin. cap.* 5. ſcribit. *Itaq; hic ſalva Fide licet dicere, fortè talem habebant faciem, fortè non talem: fortè autem de Virgine natus eſt Chriſtus, nemo ſalva Fide Chriſtiana, dixerit*; & Diuus Bernard. *lib.* 5. *de conſiderat. ad Eugenium. Fides ambiguum non habet, & ſi habet Fides non eſt*. Non ſtat dubietas cum omnimoda certitudine, eò quod dubitans judicat res Fidei non eſſe omninò certas, & dignas, quod certò, & infallibiliter credantur. Si reſpondeas, vera iſta eſſe de dubio poſitivo, videlicet, quando dubitans habet actum poſitiuum, quo judicat res Fidei poſſe aliter ſe habere: ſic enim dubitantem Hereticum eſſe docent etiam Doctores ſententiæ contrariæ, præcipuè Sanchez, ubi ſupra, & Diana *part.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 53. At non probant, dubium in Fide per ſolam judicii ſuſpenſionem Hæreticum eſſe, & infidelem, & hoc eſt, quod controvertitur. Proſequamur diſcurſum. Vera ſuſpenſio judicii in dubitante voluntariè, & cum pertinacia, oritur ex motivis contrariis, quibus deterrita voluntas imperat ſuſpenſionem judicii; & tunc voluntas virtualiter approbat motiva contraria, dum propter illa actum ſuſpendit, quod moraliter idem eſt, ac affirmare motiva illa tanti ponderis eſſe, ut rem dubiam, incertamq; reddant. An in hoc caſu non eſt æquivalenter dubium poſitivum? Etſi intellectus incertitudinem poſitivè non judicet, voluntas tamen eam approbare videtur, approbando motiva ad formidinem, & æquivalenter aſſentiendo incertitudini, atq; formidini; ſicuti, qui in voluntate concedunt puram omiſſionem liberam, dicunt, illam eſſe fugam poſitivam, ſeù volitionem interpretativam, ac virtualem, quia voluntas, propter motiva propoſita, obiectum ſibi oblatum relinquit. Undè falſum eſt, quod dicunt aliqui, illum, qui propoſitis Fidei motivis ſufficientibus ad inducendam obligationem credendi, ſuſpenſivè ſe habet, ob motiva contraria, non negare adhùc virtualiter, & implicitè res Fidei, quia non eſt major ratio, cur ſuſpenſio iſta potius dicatur virtualis diſſenſus, quàm virtualis aſſenſus. Ex dictis enim habetur ratio, ob quam hujuſmodi ſuſpenſio dicatur virtualis diſſenſus; cum iſte ſimul cum Fide incompatibilis ſit, ſequitur, dubitantem de Fidei Myſteriis, infidelem eſſe, non infidelitate Paganiſmi, aut Judaiſmi, quia loquimur de baptizato, ſed hæreſis, ut etiam ſentit Divus Auguſtinus, *in Enchiridion cap.* 17. & 19. nec non Concilium Viennenſe relatum *in Clem. prim. de Summ. Trinitate, & Fide Catholica §. Porrò*, ubi definitur, quod vertens in dubium, an rationalis

Digitized by Google

nalis anima humani corporis ſit forma, Hæreticus eſt, ſi pertinaciter tali dubio inhęreat: Exindè dubius in Fide à Confeſſario quolibet abſolvi, quando dubium eſt ex voluntate, pertinacia, ac pravitate, non poteſt.

Ad primum dicitur, dubium in Fide habere judicium, quo judicat, obiectum non eſſe omninò certum, ſed dubium, quod ſe tenet ex parte diſſenſus, ſemperq; eſt Fidei contrarium, illiuſq; deſtructivum. Paſſerin. *Cap. Fideli*, *de Summ. Trinit. in* 6. *nu.* 24. ſcribit, dubitantem de Fidei articulo negare infallibilitatem divinę veritatis, & Eccleſię proponentis Fidei articulum, cum de veritate articuli propoſiti dubitat. Quamvis aliquandò ſuſpendatur judicium, tamen ſuſpenſio oritur ex motivis contrariis, quibus voluntas deterretur, eſtq; ęquivalenter aſſenſus de incertitudine; & ſi ità dubitans manifeſtaret ſenſum ſuum internum, pertinaciterq; in hoc maneret, Hęreticus judicaretur, quia ſe haberet, ac ſi diceret, res Fidei incertas eſſe, poſſeq; in dubium revocari.

Ad ſecundum, illi, qui tentationes circà Fidem patiuntur, ſi illas ſeriò deteſtentur, abiiciant, ac proteſtentur, nuſquam ſe eis conſenſum pręſtituros, Hęretici non ſunt, aut culpabiles, quinimò, virili ex reſiſtentia merentur; & aſſertio noſtra eſt ſolùm de voluntaria, ac pertinaci dubitatione. Neq; putes pertinaciam cum dubitatione pugnare; quoniam, etſi dubitans fluctuet, habet tamen judicium, ſaltem virtuale erroneum, ac ad hæreſim conſtitvendam ſatis firmum, quandoquidem ſciens, ac volens dubitat.

Ad tertium, non eſt verum abſolutè, dubium in Fide actum omnem ſuſpendere, cum aliquandò actum poſitivum habeat, quo judicat, res Fidei non eſſe omninò certas. Sed, etſi judicium formale ſuſpendat, adhuc datur virtuale, & reflexivum, modo explicato. Falſum eſt etiam Fidem in baptizato deperdi per aliquem actum poſitivè contrarium ad hęreſim non pertinentem.

Digitized by Google

SECTIO XIII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui habet aſſenſum opinativum abſolutè de rebus Fidei, & abſolutè judicat, illas probabiles eſſe.

Videtur, quòd ſic. *Primò*. Quamuis Hæreticum ſit judicium, quo aliquis opinativè aſſentitur rebus Fidei, taliter quòd per actum reflexum judicet obiectum aſſenſu firmiori dignum non eſſe, tamen, ſi à tali judicio fiat abſtractio de fidei obiecto opinionem habere poſſumus, humanum motivum dumtaxat, rationemvè probabilem conſiderando, ſicut docent Suarez *de Fide diſp.* 19. *ſect.* 4. *nu.* 16. Gaſpar Hurtado *diſp.* 10. *diffic.* 3. Oujedo *de Fide controv.* 9. *punct. p. nu.* 12. Granado *tract.* 15. *diſp.* 3. *nu.* 6. & alii Theologi; etenim credere Fidei obiectum ex motivo humano peccatum non eſt, ſed frequenter uſitatum à fidelibus.

Secundò. Qui res Fidei humano teſtimonio credit Hæreticus non eſt; & interdum aliquis vir doctus aſſerit aliquid eſſe de Fide, tuncq; illud credere poſſumus humana Fide, ob Doctoris illius auctoritatem. Igitur eiſdem opinativo aſſenſu adhærere poſſumus, maximè quia aſſenſus iſte fertur in id, quod à parte rei verum eſt.

Tertiò. Opinio non includit actualem formidinem, qua dicitur, hoc forſan non eſt, neq; ex vi actus opinativi negat obiectum Fidei credendum, nec de eo dubitat, ſed eſt pura omiſſio actus Fidei; ideòq; habens opinionem de Miſteriis Fidei Hæreticus non eſt, aut excommunicatus, ſed à Confeſſario quolibet abſolvi poterit.

Reſpondeo. Non poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere illum, qui habet aſſenſum opinatiuum abſolutè de rebus Fidei, abſolutèq; judicat, illas probabiles eſſe. Aragon. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *dub* 2. Vincentius Ferre. *de Fide tract. p. q.* 5. *§.* 7. Caſtro *lib.* 9. *adverſus Hæreticos cap.* 10. Coninch. *diſp.* 18. *dub.* 7. *nu.* 105. Palaus *tom. p. tract.* 4. *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *nu.* 10. Delbene *dub.* 7. Azor. *tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 6. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 2. *dub.* 2. *nu.* 4. Salelles *lib. p. reg.* 96., & alii, qui omnes docent, ſic opinantem eſſe Hæreticum, ſi pertinax ſit, juxtà Doctrinam Sancti Doctoris *p. p. q.* 32. *art.* 4. ubi inquirit: *Utrum liceat contrariè opinari de notionibus*, reſolvitq; per ſequentia. *Ad Fidem pertinet aliquid dupliciter. Uno modo directè, ſicut ea, quæ nobis ſunt principaliter tradita, ut Deum eſſe Trinum, & Unum, Filium Dei eſſe Incarnatum; & circa hæc opinari*

Digitized by Google

ri falſum, hoc ipſo inducit hæreſim, maximè ſi pertinacia adjungatur. Pro explicatione termini illius, *abſolutè*, ſcias, bifariam poſſe aliquem opinari de rebus Fidei. Uno modo reſpectiuè, quando quis eiſdem adhæret cum formidine, quantum eſt ex vi medii, per quod procedit opinio, & judicat in actu exercito, ex vi illius motivi, & rationis præciſè, res Fidei non eſſe omninò certas, non cogitando de alio motivo ſupernaturali, ob quod ad credendas eaſdem infallibiliter ducatur, & hujuſmodi probabilitas, & opinio potius eſt circa motiuum naturale, humanamq; rationem, quàm circa materias rationi motivæ ſubiectas; & iſtud dicitur opinari, *ut quo*. Alio modo abſolutè, quando quis abſolutè judicat, illas ſolo opinativo aſſenſu credendas eſſe, ex conſequenti credendas non eſſe ob Dei teſtimonium, ſupernaturalemq; revelationem. Permulti ſentiunt, opinionem, etiam reſpectivè, pugnare cum Fide, inter quos Ferre. *nu*. 50., qui poteſt videri: Nos enim, quidquid ſit de controverſia iſta, aſſertionem reſtringimus ad opinionem abſolutè, & in hoc ſenſu eſt certiſſima. Fides omnimodam certitudinem habet; Undè vox erat Auguſtini 7. *Confeſſ. cap*. 10. *Faciliùs dubitarem me vivere, quàm eſſe vera, quæ audivi;* & *lib*. 8. *de Trinit. cap*. 5. *Fortè autem de Virgine natus eſt Chriſtus, nemo ſalva Fide Chriſtiana dixerit;* Siquidem de conceptu Fidei Divinæ eſt, ſic certificare ſubiectum de proprio obiecto, ut certiſſimè judicet, neq; divinitùs poſſe contingere oppoſitum illius, quod creditur; Fidei enim divinæ neq; per Dei abſolutam potentiam poteſt ſubeſſe falſum, ut nunc ex Theologicis ſuppono. Aſſenſus autem opinativus abſolutè de aliquo obiecto, neceſſariò judicat obiectum ità eſſe verum, ut poſſit eſſe falſum, nedum, ut ſubeſt tali motivo, ſed abſolutè; & de opinionis conceptu eſt relinquere in opinante exiſtimationem, quod id, cui adhæret, poſſit aliter ſe habere. Ex *lib*. 3. *Manud. ad Stoicam Philoſ. diſſert*. 8. *Opinio nihil aliud eſt, quàm, aut falſa de rebus judicare, aut vera ſed infirmiter, nec rationi ſuffultum;* & Ariſtoteles 4. *Topic. cap*. 1. *Id, quod. eſt, & quod non eſt in opinione conſiſtit;* ac *lib. p. de demonſt. cap*. 26. *Reſtat, ut opinio in veris quidem, & falſis cernatur: ſed quæ aliter, atq; ſunt, eſſe poſſunt; itaut opinio nihil ſit aliud, quod propoſitionis nullo certo argumento confirmatæ comprehenſio non neceſſaria*. Angelicus Doctor 2. 2. *q. p. art*. 4. docet opinionem eſſe aſſenſum intellectus ad aliquid, non quia ſufficienter ab obiecto proprio moveatur, ſed per quandam rationabilem electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam, cum dubitatione tamen, & formidine alterius partis: Et *ſeq. art*. 5. *ad* 4. *De ratione vero opinionis eſt, quod id, quod eſt opinatum, exiſtimetur poſſibile aliter ſe habere*. Videri etiam poteſt *p. poſter. lect*.

 44.

44.*qu.*14.*de verit.art.*9.*ad* 6.*& p.*2.*qu.*67. *art.*3. Recentiores quidam ſentiunt actualem formidinem de veritate oppoſiti, non eſſe de conceptu eſſentiali opinionis, at tantùm radicalem, videlicet exigentiam actualis formidinis, quantùm eſt ex vi motivi gignentis opinionem. Hoc non obſtat, quoniam, etiam dato hoc, opinans adhuc poteſt judicare ſuæ opinioni poſſe falſum ſubeſſe, & opinatum aliter ſe habere, & ſic opinetur abſolutè, non reſpectivè, poteſt dare judicium, quòd objectum ſuæ opinionis non ſit omninò certum, ne dum ex vi talis motivi, ſed abſolutè, quod rebus Fidei repugnat; iſta namque ſunt duo contradictoria: huic veritati, cui adhæreo, poteſt ſubeſſe falſum, huic veritati, cui adhæreo, nequit etiam divinitùs ſubeſſe falſum, primum eſt opinionis, ſecundum Fidei Divinæ. Mitto, non eſſe verum, ſolam radicalem formidinem eſſe de conceptu opinionis, videatur Ferre. *num.* 48. & claudendo diſcurſum, dico, quòd Hæreticus ſit opinans abſolutè de rebus Fidei, & excommunicatus, ſi externè ſuam hæreſim manifeſtet, à quolibet Confeſſario abſolvi nequit, ſed tantùm ab habente facultatem abſolvendi ab hæreſi exteriùs manifeſtata.

Ad primum, illi, qui ſuſtinent, neq; opinionem reſpectivè compatibilem eſſe cum Fide, reſpondent per motivum humanum aſſentiri non poſſe quemquam rebus Fidei eodem tempore, ac habet Fidem Divinam de illis, ob judicia contradictoria aſſenſus Fidei, & aſſenſus opinativi, quamvis priùs poſſit de aliquo objecto habere opinionem, priuſquam ſit veritas definita ab Eccleſia, vel cognoſcat Eccleſiæ definitionem, & poſteà Fidem deſtruentem opinionem. Nos dicimus, in caſu argumenti non haberi opinionem abſolutè de rebus Fidei, ſed reſpectivè. Eodem modo reſpondetur ad ſecundum, nimirùm eſſe Hæreticum illum, qui ſcit, hanc veritatem eſſe ab Eccleſia definitam, & tamen circà illam abſolutè opinatur.

Ad tertium, priùs negamus, opinionem non includere ſuo eſſentiali in conceptu actualem formidinem; ſicut enim ſcientia, Fideſque propria ex ratione certitudinem petunt, ita opinio incertitudinem; de eſſentia autem ſcientiæ, Fideique Divinæ eſt actualis certitudo, & non ſola radicalis, propterea etiam de opinionis ratione erit actualis incertitudo, atque formido. Sed demus, opinionem claudere ſolam formidinem radicalem, adhuc eſt Fidei deſtructiva, quoniam incerta, & quia opinans poteſt judicare opinatis poſſe ſubeſſe falſum.

SE.

Digitized by Google

SECTIO XIV.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui tenet opinionem veram, putando, illam eſſe contra Eccleſiam Catholicam.

VIdetur Simancæ *de cath. inſtitut. tit.* 31. *num.* 9. Bordono *cap.* 9. *num.* 69. Salas *part.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 3. *ſect.* 7. *in fine*, aliiſq; paucis, talem non eſſe Hæreticum ex conſequenti à quolibet Confeſſario abſolvi poſſe.

Primò. Intantùm quis eſt Hæreticus, inquantum fovet errorem in intellectu contra ea, quæ de Fide ſunt definita. Habens opinionem veram, etſi illi adhæreat cum exiſtimatione, quòd Eccleſiæ definitis contrarietur, non errat contra ea, quæ ab Eccleſia definita ſunt; quapropter Hereticus non eſt, ſed à quolibet Confeſsario approbato abſolvi poteſt.

Secundò. Percutiens Laycum, quem Clericum putat, non incidit in excommunicationem. *Can. Si quis ſuadente Diabolo*, ut teſtantur communiter Doctores, quoniam excommunicatio, nedùm pravum animi affectum expoſtulat, ſed & realitatem qualitatis repertæ in objecto. Idem eſt dicendum de negante propoſitionem conceptam de Fide, quam putat eſſe contrà Eccleſiam Catholicam, & revera non eſt, hic non erit excommunicatus excommunicatione in hæreticos lata; hæreſis enim non ſolùm oritur ex animo, ſed etiam ex actu tendente in propoſitionem verè definitam de Fide.

Tertiò. Cenſura, ſecundùm omnes, afficit ſubjectum ſecundùm veritatem actus externi, non ſecundùm conceptionem mentis errantis: Undè, qui tenet propoſitionem, quæ verè, & realiter non eſt contrà Fidem, & ſi ex errore putet eidem contrariari, Hæreticus excommunicatus non eſt, quia non habet revera falſam credulitatem; pœnæque habent ſtrictam interpretationem. In hanc ſententiam eſt etiam Delbene *dubit.* 13. *ſect.* 7. *in fine*. Ferre. *de Fide tract.* 2. *q.* 14. *§.* 5. *num.* 26.

Reſpondeo. Non poteſt Confeſſarius quilibet abſolvere illum, qui tenet opinionem veram cum credulitate, quòd ſit contra Fidem Catholicam. Bannes 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. *corrol.* 3. Aragon. *ibid. art. p.* Enriquez *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 17. *num.* 3. Sayrus *in Theſaur. lib.* 3. *nu.* 14. *tom. p.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 30. Petrus de Ledeſma *tom.* 1. *Sum. tract. pr. cap.* 6. Ricciull. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. Trullench. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 12. Carena *part.* 2. *tit. p. à num.* 73. qui omnes, etſi expreſsè non doceant noſtrum aſſertum, tamen dicunt illum, de quo loquimur, hæreticum eſſe. Conſcientia erronea ligat, illamque ſequi in operando tenemur. *Omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt*, effatum erat Apoſtoli

ſtoli *Rom.* 14. videlicet, omne, quod eſt contrà conſcientiam, eſt culpabile, ut explicat Sanctus Doctor *p.* 2. *q.* 19. *art* 5., ideòq; habens conſcientiam erroneam, propoſitionem iſtam eſſe contrà Eccleſiam Catholicam, illamq; tanquam veram defendat, peccat, tametſi Catholicæ Eccleſiæ verè non adverſetur, prout etiam explicat idem S. Doctor, *ubi ſuprà*, inquiens. *Et ſimiliter credere in Chriſtum, eſt per ſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem, ſed voluntas non fertur in hoc, niſi ſecundùm quod à ratione proponitur. Undè, ſi à ratione proponatur, ut malum, feretur voluntas in hoc, ut malum: non quia illud ſit malum ſecundùm ſe, ſed quia eſt malum per accidens, ex apprehenſione rationis. Et ideò Philoſophus dicit in 7. Ethic., quod per ſe loquendo, incontinens eſt, qui non ſequitur rationem rectam: per accidens autem, qui non ſequitur rationem falſam. Undè dicendum, quod ſimpliciter omnis voluntas diſcordans à ratione, ſivè recta, ſivè errante, ſemper eſt mala.* Hoc totum concedunt etiam Adverſarii; at negant, peccatum ſequentis conſcientiam erroneam in caſu noſtro eſſe hæreſis, eò quod non eſt immediatè, ac directè contrà Fidem, illiuſq; deſtructivum; ſed aberrant, quandoquidem ſic peccans immediatè negat Fidei articulum, nimirum, eſſe vera univerſaliter ab Eccleſia definita, hancq; eſſe regulam infallibilem in proponendis rebus Fidei, & immediatè ſentit contrà Eccleſiam firmiter adhærens propoſitioni, quam contrà ipſam eſſe arbitratur. Exindè enervatur fundamentum Bordoni, aliorumq; in contrarium opinantium, qui dicunt, iſtum Hæreticum non eſſe, quoniam ipſius Fides Eccleſiæ, non ſecundùm realitatem, at per imaginationem ſolummodò repugnat; adeſt namq; obiectum verum, ac reale, cui contradicit, ſcilicet infallibilitas Eccleſiæ in proponendo. Sufficeret tamen ad conſtituendum aliquem Hæreticum prauus affectus, malaq; voluntas contrà Fidei regulam, ſicuti ad excuſandum ab hæreſi illum, qui ſecundùm realitatem contrà Fidem ſentit, ſufficit bona Fides, qua ex ignorantia invincibili credere arbitratur id, quod Eccleſia docet. Qui has voces proferret: *Non credo, vel non crederem hoc, licèt de Fide eſſet definitum, aut de Fide definiretur*, eſſet ne Hæreticus? Bordonus cum aliis affirmatiuum dat reſponſum. Et tamen hujus Fides ſecundùm realitatem Eccleſiæ non repugnat, nec obiectum, cui verè opponatur, adeſt, niſi eo modo, quo in caſu, de quo eſt controverſia. Qui falſum jurare in corde ſuo ſtatueret, neſcienſq; verum diceret, an non eſſet formaliter periurus? Sic, qui putat contrà Eccleſiam ſentire, at ignorans verum credit, formaliter erit Hæreticus. Audio reſponſum Vincentii Ferre., viri equidem magnæ ſubtilitatis, ac profunditatis, qui, *ubi ſuprà*, nobiſcum convenit in hoc, quòd iſte Hæreticus ſit mentalis,

Digitized by Google

talis, at cum Simanca negat eſſe Hæreticum externum, quia errorem, quem in mente habet, nullo modo exteriùs manifeſtat, quod patet ex eo, quod ex vi eorum, quæ exteriùs profert, nullus venire poteſt in cognitionem hæreſis, quam in mente retinet. Sed hoc parùm urget, nam eſto non manifeſtetur hæreſis iſta per prolationis exteriorem propoſitionis veræ, quam tenet, cum exiſtimatione, quod ſit contrà Eccleſiam; vel per facta conformia eidem, ſicut tetigimus ſuprà *ſect.* 4. *in corp.*; tamen exprimi poteſt, ſi dicat, ſe corde tenere dictam propoſitionem, non obſtante, quòd ſit contrà Eccleſiam. Quicumq; ſic loqueretur, ab audientibus Hæreticus judicaretur, quoniam negaret verè aliquid de Fide, nempè Eccleſiam eſſe certam Fidei regulam, nec fallere, aut falli potentem: Undè abſolvi non poſſet à Confeſſario quolibet, qui tenet opinionem veram, putando illam eſſe contrà Eccleſiam, ſi animum ſuum, ut ſuprà, exprimat.

Ad primum ſufficienter reſponſum eſt, talem errare contrà definita ab Eccleſia. Eſt ſimile, ut tetigi in corpore, de eo, qui diceret, non credo, vel non crederem hoc, licèt eſſet de Fide definitum, aut de Fide definiretur, ſic enim loquentem Hæreticum eſſe, docent Cajet. *in Sum. v. Hæreſis*, Navar. *in Sum. cap.* 11. *nu.* 17. Porrecta *p. p. q.* 32. *art.* 4. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 29. Bordon. *cap.* 9. *nu.* 75. Delbene *dubit.* 13. *ſect.* 7. *nu.* 6. & alii plures; quia negat, divinum teſtimonium, ſuppoſito quod extaret, & ergà illud ſeſe malè affectum oſtendit, paratus eſt reſiſtere Eccleſiæ definienti, & quamvis nihil negaret, quod ſit definitum, tamen voluntas illa eſt Hæretica; ſed verè negat aliquid de Fide, ſcilicet, definita ab Eccleſia eſſe vera, certiſſima, & infallibilia.

Ad ſecundum negatur paritas, quia percutiens Laycum, quem Clericum putat, nullo modo ſuo actu Clericatum attingit, aut Clericum lædit, ob id non dicitur Clerici percuſſor. At ille, qui contrà Fidem ſentire, ac credere exiſtimat, jam regulam Fidei abiicit, ſicq; fit Hæreticus. *Inſuper*, hæreſis conſiſtit in intellectu, & voluntate, quapropter ex ſola pertinaci animi præparatione quis dicitur Hæreticus, ut docet Cajet. *v. Hæreſis*, per hæc verba. *Sed, ſi ſic adhæreat uni parti, ut etiam, ſi Sancta Mater Eccleſia decerneret alteram eſſe neceſſariò affirmandam, ipſe nibilominus vellet deliberatè credere ſuam partem, Hæreticus eſſet, propter hanc pertinacem animi præparationem adjunctam.* Percuſſio autem Clerici non conſumatur in animo, ſed exteriùs.

Ad tertium patet reſponſio ex dictis. Falſum eſt, talem non habere malam credulitatem; habet enim animum hæreticum, Et licèt opinio ſit vera, tamen, quia credulitas Eccleſiæ contradicit, non

poteſt

Digitized by Google

poteſt dici, quòd verum credat, niſi materialiter: Sicuti è converſo, qui ex ignorantia invincibili aliquod contrà Eccleſiam credit, putans eſſe de Fide, ab hęreſi excuſatur propter bonam Fidem, & quia ab Eccleſia corrigi paratus eſt. Innoc. *Cap. p. nu. 7. de Sum. Trinit.* Joann. Andr. *nu.* 26. Butr. *nu.* 9. Abbas *nu.* 15. Farinac. *de hæreſi q.* 179. & videri poſſunt S. Th. 4. *diſt.* 23. *q.* 6. *art. p. ad* 6. & D. Auguſt. *lib.* 4. *contrà Donatiſtas cap.* 16.

SECTIO XV.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit illum, qui ſentit contrà Eccleſiam, non ex motivo ſentiendi contrà illam, ſed propter aliquod aliud motivum.

VIdetur Suarez *de Fide diſp.* 19. *ſect.* 3. *nu.* 22., non eſſe aliquem Hęreticum, niſi contrà Eccleſiam directè ſentire velit; atq; adeò, qui ſolùm ſpecificativè Eccleſię contradicit, & non reduplicativè, idest, ex animo contradicendi illi, poterit à Confeſſario quolibet abſolvi. Quę ſententia ſuadetur. *Primò*. Nullus eſt Hęreticus, niſi ſciat contrà Eccleſiam ſentire, idcircò ad hoc, ut quis Hęreticorum pœnas ſubeat, excommunicationemq; incurrat, neceſſe eſt, ut contrà Eccleſiam directè credat.

Secundò. Sentiens contrà Eccleſiam ex alio motivo, puta lucri, inanis glorię, aut ſimili alio, ſe Fidem Catholicam illibatam tenere, proteſtatur, & ſi errores diſſeminet, facit ob lucrum, finemvè alium extrinſecum; qui autem errorem in intellectu non habet, Hęreticus non eſt, & à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt.

Tertiò. Quoties cognoſcitur oppoſitio cum doctrina Eccleſię, dicitur ipſa reſiſtentia directè volita, etenim, qui vult cauſam, ex qua neceſſariò ſequitur aliquis effectus, dicitur directè velle effectum ipſum, ſicut dans fœminę gravidę potionem ad abortum fœtus animati, eſt homicida voluntarius, quoniam vult cauſam per ſe connexam cum morte filii, atq; adeò vult directè eandem mortem, & ſine volitione directa occiſionis irregularitas homicidii voluntarii non contrahitur. Igitur voluntas credendi id, quod ſcio eſſe contra Eccleſiam, cum non poſſit eſſe abſq; reſiſtentia contrà Eccleſiam, eſt verè voluntas directa reſiſtendi Eccleſię, & conſequenter ad hoc, quòd aliquis ſit Hęreticus, requiritur, ut directè velit reſiſtentiam contrà Eccleſiam. Card. de Lugo *de Fide diſp.* 20. *ſect.* 5. *nu.* 163., Ovjedo *de Fide*, *controv.* 10. *puncto* 4. *nu.* 44.

Reſpondeo. Non poteſt Confeſſarius quilibet abſolvere eum, qui contrà

Digitized by Google

contrà Eccleſiam ſentit, quamvis directè contrà illam ſentire non intendat, nec ſuo affectu directè feratur contrà Eccleſiæ auctoritatem, ſeù expreſsè errare velit, ut Eccleſiæ contradicat; ſufficit enim, ut Hæreticus ſit, quòd ſciens Eccleſiæ revera contradicat, etiamſi ad hoc credendum non inducatur affectu directo contrà Eccleſiam, ſed aut gloriæ cupiditate, aut ratione convictus, aliavè de cauſa. Vaſquez *p. 2. q. 76. art. 3. diſp. 126. cap. 3. in princ.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 7. num. 4.* Becanus *de Fide cap. 14. q. 2. nu. 19.* Bordonus *cap. 9. nu. 72.* Neq; diſſentiunt Card. de Lugo, & Oviedo *locis ſupra cit.*, ubi dicunt, Suarez, & Vaſquez differre dumtaxat in modo loquendi, utrumq; convenire in hoc, quòd qui directè vult defendere ſententiam, quam noſcit eſſe contrà Eccleſiam, Hæreticus eſt, abſq; eo, quod intendat oppoſitionem formalem; diſſentire verò, quod Suarez appellat voluntatem illam directam voluntatem contradicendi Eccleſiæ, Vaſquez verò illam ſolam dicit voluntatem directam contradicendi Eccleſiæ, qua amatur formalis oppoſitio cum Eccleſia, non verò illam, qua diligitur obiectum, quod oppoſitum eſſe cognoſcitur. At quidquid ſit de auctorum iſtorum mente, aſſertum noſtrum comprobamus. Hæreſis ratio formalis in hoc ſita eſt, quòd articulis Eccleſię ſcitis, aut ſaltem dubitatis, quis contradicat; contradictioneq; in iſta intentio formalis contradicendi Eccleſiæ non includitur; ſicut enim ad peccandum in aliis criminibus, contrà juſtitiam, religionem, aliaſq; virtutes, neceſſe non eſt, ut habeatur pro fine formaliter volito injuſtitia, aut aliud vitium, ſic etiam peccatur pertinaciter contrà Eccleſiæ auctoritatem, negando id, quod ſcimus Eccleſiam docere, etſi contradictionem Eccleſiæ formaliter non intendamus. Quocunq; modo quis Eccleſiæ contradicat, ſemper judicium proprium, privatumq; Eccleſiæ judicio pręfert, ac proindè putat Eccleſiæ judicium inſufficiens eſſe fundamentum ad credendum. Nonnè iſte error eſt voluntarius cum pertinacia contrà ea, quę ſunt de Fide? Qui ſcienter negat, Eccleſiam eſſe ſufficiens fundamentum ad Fidei aſſenſum, an non Hæreticus? Controvertunt Doctores ſcribentes in materiis S. Officii, num ſit fautor, defenſor, ac receptator Hęreticorum, qui non ex motivo hęreſis, ſed conſanguinitatis, amicitię, lucri, aliovè ſimili, abſq; directa intentione favendi hęreſi, Hęreticos defendit, ac receptat; Et quamvis plures neganti parti adhæreant, tamen permulti affirmantem tuentur, Gloſſ. *in Cap. Excommunicamus, el primo, §. Credentes, v. Receptatores, de hæret.* Joan. Andr. *num. 28. in fi.* Marian. Soccin. *num. 75.* Card. Zabarel. *nu. 6.* Locat. *in Judic. Inquiſ. v. Receptatio.* Royas *ſingul. 171. n. 4.* Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 51. num. 68.* Suarez. *de Fide diſp. 24. ſect.*

Digitized by Google

p. num. 9. Card. de Lugo *diſput.* 25. *ſect. p. à num.* 11. Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 2. *diſp.* 10. *num.* 5. & *lib. pr. Aphoriſ. cap.* 23. *num.* 7. Pegna *part.* 2. *Direct. com.* 81. Paſſerin. *in cap. Ut offitium à num.* 14. *de hæret. in* 6. & plures alii; eo quod ex quocumque motivo favor proveniat, ſemper eſt in hæreſis favorem, & favor fit Hæretico, ut tali ſpecificativè. Igitur ſimiliter in caſu noſtro, qui revera ſentit contra Eccleſiam, quamvis non intendat formalem reſiſtentiam, tamquam motivum formale contradicendi, adhuc erit hæreticus, excommunicatus, & abſolvi non poterit à Confeſſario quolibet, ſed ab eo, cui hæreſis reſervata eſt, aut commiſſa facultas abſolvendi ab hæreſi.

Ad primum, ſuppono illum, de quo loquimur, ſcienter contra Eccleſiam ſentire, ſed nego expoſci, ut velit directè contra eamdem tenere; poteſt enim quis ſcienter facere malum aliquod, & tamen ſolùm indirectè illud velle; ſicuti, qui ex motivo amicitiæ receptat Hæreticum in hæreſis favorem, tametſi directè non intendat favorem hæreſis, ſcienter ei favet, & quod eſt volitum in cauſa, eſt ſolùm indirectè volitum, cum ſit in alio volitum, & tamen ſcienter eſt volitum. Videantur Doctores *p.* 2. *qu.* 6. præcipuè Ildephonſus *in Comment. artic. pr.* Non datur aliquod volitum, quin præcognitum.

Ad ſecundum, ſtatus præſentis controverſiæ eſt, ſuppoſito, quòd quis ſentiat contra Eccleſiam; undè ſtando in controverſia dici non poteſt, quòd Fidem Catholicam illibatam ſe tenere proteſtetur.

Ad tertium, Cardinalis de Lugo inquit, voluntatem credendi id, quòd verè ſcio eſſe contra Eccleſiam, cum non poſſit eſſe abſque reſiſtentia contra Eccleſiam, eſſe verè voluntatem directam reſiſtendi Eccleſiæ, & concedit ad hoc, ut quis Hæreticus ſit, requiri, quòd directè velit reſiſtentiam contra Eccleſiam, ſed non eſſe neceſſe, ut hanc directè intendat: Movetur autem hoc tertio argumento. Sed falſum eſt illud, quod eſt volitum in cauſa, eſſe volitum directè, ſed eſt tale, ſolummodò interpretativè, virtualiter, & in alio; neque ad hoc, quod aliquid alteri ad culpam imputetur, requiritur, ut ſit directè volitum, ut nunc ſuppono ex Doctrina Theologorum in materia de peccatis, & de voluntario, ac involuntario.

SE-

SECTIO XVI.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit diſſentientem ſpeciali revelationi ſibi ſufficienter propoſitæ ad credendum.

VIdetur Sanchez *lib.2.Moral.cap.7.num.*13. Vegæ *ſuper Trident.lib.*9. *cap.*3. hunc eſſe Hæreticum, & incidere in pœnas Hæreticorum, in excommunicationem Bullæ Cœnæ, aliaſque tùm corporales, tùm ſpirituales, in quam ſententiam videtur eſſe etiam Ferre. *tract.*2. *de Fide qu.*16. *§.p. num.*7. nam quamvis dicat, de hæreſi iſtius Eccleſiam judicare non poſſe, tamen ſubdit, quòd ſi per accidens ad Eccleſiæ judicium pertineret, Eccleſia illam punire poſſet. In horum ſententia, ſic diſſentiens non poteſt à Confeſſario quòlibet abſolvi, & pro hac parte arguitur. *Primò*. Ille, qui privatæ revelationi ſibi ſufficienter propoſitæ diſsentit, eſt verè Hæreticus. Azor. *tom.p. lib.*8. *cap.*9. *qu.*4. Corduba *lib.p. qu.*17. *§.p. dub.*2. Palaus *tom.p. tract.*4. *diſp.*3. *punct.*2. *nu.* 14. Suarez *de Fide diſp.*19. *ſect.*5. *num.*11. Salell. *lib.p. cap.*12. *regul.*100. Delbene *part. pr. dubit.* 13. *ſect.* 8. aliique præter relatos à principio. Igitur excommunicationem incurrit, atque ideò non poteſt Confeſſarius quilibet ipſum abſolvere.

Secundò. Qui privatæ revelationi ſibi factæ pertinaciter diſſentit, ſaltèm virtualiter negat præcipuum articulum Fidei ab Eccleſia propoſitum, ſcilicet, Deum in dicendo eſſe veracem, ſeù eſſe verum id, quod revelat. Dices non negare Deum eſſe veracem, ſed Deum loqui. Inſto. Si Deo revelanti, & facienti evidentiam credibilitatis de eo, quòd ipſe eſt, qui revelat, ille, cui revelatio fieret, non crederet, Deum eſſe qui loqueretur, tunc Eccleſiæ obedientiam in materia Fidei negaret, nam Eccleſia jubet credere Deo, quandò facit evidentiam credibilitatis de eo, quòd ipſe ſit, qui loquitur, ſic quod audiens judicet, tunc inſtare præceptum credendi: deſignat autem nos teneri ad credendum Deum eſſe, qui loquitur, dum loquitur, & facit evidentiam credibilitatis de eo, quòd ipſe ſit, qui nobis loquitur.

Tertiò. Revelatio quæcunque ſivè publica, ſivè privata ad objectum Fidei noſtræ ſpectat, quia licèt ad credendum privatæ communiter omnes non obſtringantur, tamen credere tenetur ille, cui fit, ſufficienterque proponitur, & ſpectat ad eundem Fidei habitum, quo Myſteria alia creduntur, Scotus 2. *diſt.*23. *qu.unic.* Vega *lib.p. in Trid. cap.*3. & 8. Catherin. *in Apolog. contra Sotum de certitudine gratiæ cap.ult.* Bellarm. *lib.*3. *de juſtific. cap.*3. Aragon. 2. 2. *qu.pr. art.*3. Salmer. *lib.pr. in epiſtola Pauli part.*3. *diſp.*2. Suarez *de Fide diſp.*3. *ſect.*10. Card. de Lugo *de Fide diſp.*

p. ſect. 11. & alii. Ergo diſſentiens privatæ revelationi, ſufficienter ſibi propoſitæ, Fidei habitum amittit, Hæreticus eſt, excommunicatus excommunicatione Summo Pontifici reſervata:

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt diſſentientem privatæ revelationi ſibi ſufficienter propoſitæ ad credendum. Scriptores omnes negantes, hunc hæreticum eſſe. Cajet. 2. 2. *qu.* 5. *art.* 3. Sotus *lib.* 3. *de natur. & grat. cap.* 11. *& in Apolog. contra Cather. cap.* 5. Canus *lib.* 12. *de locis Theol. cap.* 3. Bannes 2. 2. *qu. p. art.* ii. *dub.* 3. Valentia *de Fide diſp. p. qu. p. punct. p.* §. 5. *diffic.* 5. Cumel. *p. p. qu. p. art.* 3. Lorca *diſp.* 39. & alii, qui omnes docent, privatam revelationem ad Fidei habitum, quo revelationes communes creduntur non ſpectare, inter quos eſt etiam Serra 2. 2. *qu. pr. art pr. dub.* 3. Plures etiam ex illis, qui eodem Fidei habitu aſſentiri aliquem privatæ, publicæque revelationi, tuentur. Card. de Lug. *ubi ſupr.* Ovied. *contr.* 10. *punct.* 4. aliiq; & omnes, qui ſuſtinent hunc hæreticum eſſe, ſed non incidere in pœnas Hæreticorum, excommunicationem Bullæ Cœnæ, ac alias. Suarez *diſput.* 19. *de Fide ſect.* 5. *num.* 12. Corduba *lib. pr. qu.* 17. *§. pr. dub.* 2. Azor. *lib.* 8. *cap.* 9. *qu.* 4. Delbene *dubit.* 13. *ſect.* 8. *num.* 4. Hæretici nomen ab Eccleſia uſurpatur tantùm pro eo, qui Eccleſiæ edocenti reſiſtit, id negando, quod ipſa proponit; prout ex Cathechiſmo Pii V. *p. pr. in* 9. *Symboli articulo* colligitur verbis in illis, *Non enim, ut quiſque primum in Fide peccaverit, Hæreticus dicendus eſt, ſed qui Eccleſiæ auctoritate neglecta, impias opiniones pertinaciter tuetur;* innuens Eccleſiæ contemptum ad hæreſim expoſci, defectu cujus Abbas Joachim, qui Eccleſiæ judicio propria ſcripta ſubmiſit, Hæreticorum in numero non recenſetur. *Cap. Damnamus de Summ. Trinit.* Angelicus Doctor *in* 4. *diſt.* 23. *qu.* 6. *art pr. ad* 6. *Si aliquis ſimplex credat, Jacob patrem fuiſſe Abrahæ, quod eſt contra veritatem Scripturæ, quam Fides profitetur, quouſque hoc ſibi innoteſcat, quod Fides Eccleſiæ contrarium habet, quia non diſcedit per ſe loquendo à Fide Eccleſiæ niſi ille, qui ſcit, hoc à quo recedit, de Fide Eccleſiæ eſſe*, quod tradit etiam Auguſt. *lib.* 4. *contra Donatiſtas cap.* 16. Privatæ revelationi, quam Eccleſia non proponit, diſſentiens, Eccleſiam non condemnat, nec aliquid ab ipſo propoſitum negat. Satisfacies cum Ferre. *num.* 3. hunc negare Deum eſſe ſummè veracem, & illi credendum, quandò ſufficienter alicui revelatio proponitur; iſtamque ab Eccleſia proponi. Sed verum non eſt, habere oſtenſum aliquem Eccleſiæ, aut Dei veracitati contradicentem; aliud eſt enim non credere Divinam revelationem ſufficienter propoſitam, aliud pronunciare, eidem credendum non eſſe: ſicuti idem non ſunt fornicari, ac dicere, fornicationem licitam eſſe. In caſu noſtro non credit Divinam revelationem ſufficienter propoſitam.

Digitized by Google

tam. Si replices cum eodem hoc ipſo, quòd Eccleſia jubet credendum Deo loquenti, ac facienti evidentiam credulitatis de eo, quòd ipſe ſit, qui loquitur, proponit, ut credibile, quod Deus per ſe ipſum dictat, & de quo facit evidentiam, quòd ipſe ſit, qui revelet; igitur, qui diſsentit, non credit id, quòd ipſa in communi ſaltem, & univerſaliter eſse credendum proponit. Falſum eſt ſuppoſitum, quod diſsentiens neget, credendum eſse Deo revelanti, cum ſolùm in hoc peccet, quòd licèt cognoſcat obligationem credendi aliquid revelari à Deo, & obligationem iſtam fateatur, tamen ex malitia, vel imprudentia culpabili, non vult credere, eſse à Deo revelatum; non eſt autem de fide, illud eſse à Deo revelatum; ſi tamen negaret credendum eſse revelationi privatę ſibi factę, ac ſufficienter propoſitę, caſu quo habeatur omnis certitudo, ipſam eſse à Deo, tunc à communi doctrina univerſalis Eccleſię diſcederet, Deumq; ſummè eſse veracem negaret. Impoſſibile eſt, moraliter loquendo, animum hæreticum (admittamus eſse hęreticum mentalem) iſtius manifeſtari, quia non poſsunt alii ſufficienter cognoſcere, ipſum revelationi privatę diſsentire, deſideraretur ſiquidem clarè cognoſci revelationem illam, ſufficientemque ejus propoſitionem. Si ego dicam me non credere huic revelationi, non per hoc ſum hęreticus externus, quoniam non conſtat de obligatione mea ad fidem eidem prętandam; Neque ego moraliter loquendo dicam privatam revelationem, cui aſsentiri nolo, eſse mihi ſufficienter propoſitam, meque habere evidentiam, quòd Deus ipſe loquatur. Neque ſufficit, quòd exteriùs proferam me habere revelationem obligantem ad credendum, quod ſit Dei, nihilominùs nolle credere eſſe Divinam, quia adhuc credo omnia, quæ credit Eccleſia, hæc ſiquidem non tenet, meam hanc privatam revelationem Divinam eſſe, & Eccleſia illos ſolos, tanquam Hæreticos punit, quos neceſse eſt poſteà Eccleſiæ reconciliari, ſeù ad Eccleſiam redire, nec poteſt Eccleſia prudenter cogere aliquem ad abjurandam hæreſim privatam. Cum igitur ſic diſſentiens privatæ revelationi ſibi ſufficienter propoſitæ Hæreticus non ſit, ſaltem externus, à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt. Sed quid, ſi dicat, & glorietur, ſe nolle credere Deo ſibi revelanti, etiamſi evidentiam credibilitatis faciat de eo, quod ipſe ſit, qui ei loquatur; ac diſſenſiſſe Deo ſic revelanti? Sum in ſententia Ferre. *nu.* 7. aliorumq; iſtum eſſe hæreticum externum, & excommunicatum, ſi interiùs etiam ità ſentiat; eò quod tunc ſentit contrà Eccleſiæ judicium, cum ipſa doceat, credendum eſſe Deo, quotieſcumq; ipſe revelat, & habetur evidentia credibilitatis, quòd ipſe Deus loquatur. Undè à Confeſſario quolibet abſolvi non poterit; ſed ſolùm ab eo, qui abſolvendi ab hæreſi externa facultate gaudet.

Ad

Ad primum, negamus eſſe verè Hęreticum, ſaltem externum, & ab Ecleſia punibilem, neq; Scriptores omnes ibi citati volunt, talem contrahere excommunicationem, aliaſq; pœnas in Hæreticos latas. Poſſunt etiam conciliari Scriptorum dicta in hac materia, per ea, quę tradita ſunt, nimirùm, dupliciter poſſe aliquem privatę revelationi diſſentire. Uno modo, negando illam revelationem eſſe divinam, & per diſſenſum hunc non fit aliquis Hæreticus, nec Ecleſia habet illam pro divina. Alio modo, negando eſſe credendum revelationi privatæ, quamvis evidenter divinam eſſe agnoſcatur, & in hoc ſenſu loqui videntur Doctores, qui aſſerunt, Hæreticum eſſe privatæ revelationi diſſentientem, quod & nos concedimus. Ex dictis patet etiam reſponſio ad ſecundum.

Ad tertium, negamus, privatam revelationem ad formale Fidei infuſę obiectum pertinere, eodemq; Fidei habitu aſſentiri quempiam privatæ, ac publicæ revelationi; quod etiam innuere videtur Sanctus Doctor *p.p.q.p. art.* 8. *ad* 2. inquiens. *Innititur Fides noſtra revelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt. Non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus facta.* Diſtinguunt tamen nonnulli Thomiſtæ de revelatis ad Chriſtianam religionem pertinentibus, ſeù habentibus ordinem ad Deum, & de revelatis nullo modo ad religionem Chriſtianam ſpectantibus, & dicunt, illa fore credenda ab eo, cui revelatio fieret, fide theologica, iſtaq; non. Videantur Sotus *lib.*3. *de nat. & grat. cap.*11. Cano *lib.* 12. *cap.*3. Serra *d. dub.*3. & Card. de Lugo *ubiſupra*, qui etſi teneat ſententiam, de qua in argumento adhuc negat diſsentientem privatæ revelationi hęreticum eſſe.

SECTIO XVII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit negantem propoſitionem theologicam, evidenter deductam ex una præmiſſa naturali, aliaque de Fide?

Videtur non poſse. *Primò*. Concluſio deducta ex una præmiſsa naturali, & alia de Fide, eſt de Fide. Valent. 2.2. *diſp.p. qu.* 11. *punct.pr. difficul.*3. Canus *de locis Theol. cap.*9. *lib.*12. & *lib.*6. *cap.ult. ad* 10. Vega *lib.*9. *in Trident. cap.*39. Vaſquez *p.p. diſp.*5. *cap.*3. & alii. Undè eandem negans eſt hæreticus, atque ideò abſolvi nequit à quolibet Confeſsario, ſed ſolùm ab habente facultatem abſolvendi ab hæreſi.

Secundò. Judices Sacri Tribunalis Fidei punire poſſunt, tanquam hæreticum negantem propoſitionem evidenter deductam ex una de Fide,

Digitized by Google

Fidé, altera naturali, caſu quo attentis circumſtantiis perſonę, loci, occaſionis, materiæ facilis, aut difficilis, excuſatione dignus non videatur. Sanchez *lib.2.cap.7.num.6.* Palaus *p.pr.tr.4.diſp.3.punct.2.* Villalobos *in Sum.tom.2.tract.p.diffic.10.num.6.* Trullench.*lib.p.in Decal. cap.2.dub.2.* Suarez *de Fide, diſp.19.ſect.3.num.12.* Delbene *dubit.13. ſect.9.* Igitur cum ſit hæreticus externus, ſolùm enim hæreſis exterior ab Eccleſia punitur, abſolvi non poteſt indiſcriminatim à quolibet Confeſſario.

Tertiò. Negans dictam concluſionem, non præſumitur negare præmiſſam naturalem, ſed articulum Fidei, ex. gr. diſſentiens aſſertioni huic, *Chriſtus eſt riſibilis*, præſumitur non præbere aſſenſum huic Fidei principio, *Chriſtus eſt homo*, quia major propoſitio, *Omnis homo eſt riſibilis*, naturali lumine, evidenterque cognoſcitur: Quapropter jure merito hæreticus cenſetur.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt negantem aſſertionem theologicam deductam ex una de Fide, altera naturali lumine cognita, niſi etiam præmiſſæ de Fide diſſentiret. Siquidem concluſio ſic deducta non eſt de Fide, prout docent Gregor. *qu. pr. art.4.* Major *qu.4.* Ocham *qu.3.* Gabriel *qu.7.* Cajetan.& alii Thomiſtæ *p.p.qu.p.art.p. & 2.* Molin.*art.2.diſp.p.* Suarez *de Fide, diſp.3.ſect.11. à num.3.* Lugo *diſp.p.ſect.13.* Propoſitioni enim theologicæ non aſſentimur, quia à Deo dicatur, ac reveletur, ſed quia infertur, perindèq; de Fide non eſt. Neque virtualis revelatio ſufficiens eſt, quoniam etſi falſitas illius, quod connexum eſt cum expreſsè revelatis, veracitati Dei repugnet, tamen quis negare poteſt connexionem neceſſariam, non percipiendo ipſius vim, aut naturali præmiſſæ non aſſentiri. Si inſtes, eodem charitatis habitu nos diligere omnia, quæ propter Deum amantur, etiamſi mediatè amor in illa feratur, idcircò etiam quæcumq; divinæ revelationi, ſivè formali, ſivè virtuali innituntur ad Fidem pertinere. Aſſignamus diſcrimen in hoc conſiſtens, quòd ratio formalis amoris omnium, quæ per ordinem ad Deum diliguntur, eſt Divina bonitas: at ratio formalis aſſenſus præſtiti concluſioni theologicæ deductę, non eſt revelatio, aut veritas divina, ſed illatio, & diſcurſus, qui eſt naturalis; & propter hoc habitus theologicus, etſi præſuppoſitivè ſupernaturalis ſit, tamen formaliter intrà naturæ lineam continetur; prout nunc ſuppono ex iis, quæ tradunt Theologi, de Sac. Doctrina *p. p. q. p.* Revelatio virtualis tantam certitudinem parere nequit, quantam formalis præſtat: Cumque Fidei aſſenſus omnes æquè certi ſint per ſe, & eſſentialiter, tametſi ſubjectivè inæqualitatem quandam ſortiantur, & admittant, rectè infertur, non ſufficere ad propoſitionem de Fide conſtituen-

tuendam, & ad hoc, ut pro hæretico habeatur diſſentiens aſſertioni theologicæ illatæ. Hinc ſcitè Suarez *de Fide diſp.* 19. *ſect.* 3. Palaus, & Trullench. *ubi ſupra*, Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 79. Bordon. *cap.* 9. *num.* 77. Card. de Lugo *de Fide diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 70. & alii plures, hunc hæreticum eſse negarunt, cum diſſentiat objecto ſolùm prout illato, & non quatenùs à Deo dicto, ſeù revelato. Si tamen concluſionem negaret, quia præmiſſam de Fide falſam putaret, tunc Hæreticus eſſet, nec à Confeſſario quolibet abſolvi poſset. Si autem inquiras, an Hæreticus ſit negans aſsertionem ex duplici præmiſsa de Fide illatam. Card. de Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 68. ſcribit, hunc eſse verè, & realiter, & non præſumptivè tantùm, Hæreticum, quia licèt, prout concluſio, actus fidei non ſit, tamen objectum materiale illius eſt de Fide, ut pars in toto, vel, ut particularis in propoſitione univerſali. Nos dicimus, quòd ſi neget conſequentiam, Hæreticus non eſt, ſecus ſi conſequens.

Ad primum, ſolutio patet ex dictis.

Ad ſecundum, aliud eſt loqui de vero Hæretico, aliud de præſumpto. In foro externo præſumitur Hæreticus negans propoſitionem ex una præmiſſa naturali, altera de Fide deductam, ſiquidem non præſumitur negare principium naturale evidens, ſed articulum Fidei obſcurum, quarè Judices fidei poſſunt hunc, tamquam Hæreticum punire, ſi pertinaciter illam neget. Sed etiam in hoc multum eſt deferendum arbitrio Judicis, qui debet attendere qualitatem perſonæ, ac materiam, de qua agitur, poteſt enim materia eſſe tàm abſtruſa, difficiliſque, ut non ſolùm rudes, ſed etiam litterati errare poſſint. Non ſic eſt in foro interno, qui in præſumptionibus non fundatur: hinc ſi pœnitens dicat Confeſſario, ſe non negaſſe concluſionem, eo quòd non aſſentiretur principio Fidei, ſed ex defectu principii naturalis, aut formæ ſyllogiſticæ eum abſolvere poteſt, cum Hæreticus non ſit. Objectio ultima locum habet ſolùm in foro externo.

SECTIO XVIII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ſentientem contra Eccleſiam, ſed paratum corrigi, ſi argumentis convincatur?

Videtur, quòd ſic. *Primò*: Non eſt aliquis hæreticus, niſi pertinax ſit, prout nunc ſuppono ex hæreſis definitione, & patere poteſt ex traditis ſuperiùs. Qui paratus eſt corrigi, ſi argumentis convincatur, pertinacia caret; qualiter enim dici poteſt pertinax, qui para-

paratus eſt acquieſcere? Pertinacia non eſt ſine obſtinatione. Igitur talis Hæreticus non eſt, ſed à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt.

Secundò. Dantur motiva credibilitatis myſteriorum Fidei Catholice, variaq; à Theologis in materiis de Fide aſſignantur, & videri poſſunt 2. 2. *q. p.* Non erit ergo quis cenſura dignus, ſi priuſquam credat, velit habere hujuſmodi argumenta, ex quibus euidentiam credibilitatis hauriat: ac propterea non erit excommunicatus, nolens credere, niſi argumentis convincatur.

Tertiò. Qui credit præcisè ob miracula, Hæreticus non eſt: Undè nec Hæreticus erit, qui præcisè credit ob argumenta, & rationes, quibus convincitur. Quinimò ſcriptum reliquit Panormit. *in Cap. Significaſti, de elect.*, quod *magis Doctoris, quàm Papæ ſententiæ, in his, quæ ſunt Fidei, ſtandum eſt*; ratio autem prævalet Doctoris dicto, ſeù teſtimonio.

Reſpondeo. Non poteſt Confeſſarius quilibet abſolvere illum, qui contrà Eccleſiam Catholicam ſentit, quamvis paratus ſit corrigi, ſi argumentis convincatur. Qui ſcienter Eccleſiæ determinationi contradicit, Hæreticus eſt, ſicut docet Cajet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. ubi ſcribit, pertinacem, atq; Hæreticum eſſe illum, cui innoteſcit, Eccleſiam aliquid, tanquam de Fide, præcipere, nihilominùs non vult, pro tunc, ſic credere, iſte namq; non credit Eccleſiam eſſe regulam infallibilem in rebus Fidei proponendis, ac arbitratur, non eſſe ſtandum Eccleſiæ definitioni; ſed ipſam teneri ad reddendam rationem ſuæ definitionis fidelibus. An non ſic ſentiens Summi Pontificis auctoritatem pro nulla habet? Quilibet Hæreticus conſimiles ſenſus fovet, nulluſq; tàm pertinax, qui non aſſerat, ſe paratum ſententiam mutare, ſi rationibus, argumentiſq; devincatur, cum omnis ratione vivere fateatur. Ratio formalis Fidei infuſæ, ac ſupernaturalis non eſt naturalis ratio, & argumentum, ſed divinum teſtimonium ab Eccleſia propoſitum, quod firmavit etiam Auguſtinus *de Cult. agri cap.* 3. *Non enim noſtris ſermonibus, ſed documentis divinis Fides accomodanda eſt*. Ordinem pervertit, qui intelligentiam, & rationem Fidei præponit, nolens credere niſi prius intellectum convincat, ut ſapienter idem Auguſtinus *tract.* 27. *in Joan.* per has voces. *Non dixit, ſunt quidam in vobis, qui non intelligunt, ſed cauſam dixit, quare non intelligant. Sunt enim quidam in vobis, qui non credunt, & ideò non intelligunt, quia non credunt; Propheta enim dicit. Niſi credideritis, non intelligetis. Per Fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Priùs hæreamus per Fidem, ut ſit, quòd vivificetur per intellectum*. Et paulò poſt. *Sunt ergo quidam, qui non credunt. Credant, & aperiant, aperiant, & illuminabuntur*. Demus, aliquem credere rationibus, argumentiſq; convictum, iſte Fide Catholica non gaudet, quoniam aſſentit, non quia ſic videatur Spiritui

Sancto, & Eccleſię, ſed quia ſibi ſic videtur; idcircò nolens acquieſcere Eccleſiæ determinationi, licèt paratus ſit corrigi, ſi convincatur, Hęreticus eſt, & pro tali ipſum habent Petrus Ledeſma *tom.* 2. *Sum. tract. p. cap.* 6. *poſt* 2. *concluſ. diffic. p.* Torres *de Trin. q.* 32. *art.* 4. *in* 3. *Comment. p.* 3. Suarez *de Fide diſp.* 29. *ſect.* 3. *nu.* 13. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. Bordon. *cap.* 9. *num.* 66. Lupus *p.* 2. *lib.* 10. *diſt.* 4. *art.* 2. *diffic.* 10. Card. de Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 5. *nu.* 166. & alii plures. Talis, de quo eſt ſermo, minùs Eccleſię, quàm illum convincenti, credit, veritatemq; naturalem Eccleſię veritati anteponit, quod eſt maximum ſacrilegium, cum veritas Eccleſię ſit procedens de ore Dei. Auguſt. *lib.* 5. *contrà Donat. de Bap. c.* 17. edocvit, Eccleſiæ Catholicæ ſententiam cujuſuis doctiſſimi hominis ſententiæ præponendam. Cum igitur Hęreticus ſit, non à quolibet Confeſſario abſolvi poteſt.

Ad primum dicitur, non tolli pertinaciam per hoc, quòd iſte paratus ſit credere convictus rationibus, argumentiſque, quandoquidem, non per hoc paratus eſt ſe Eccleſiæ ſubmittere. Pertinax ille dicitur, qui tenaciter ſuo errori adhæret contra Fidem Catholicam, nempè, qui ſcienter relinquit Eccleſiæ auctoritatem, & teſtimonium, per quod aliqua veritas Fidei proponitur nobis credenda, & ſequitur ſuum judicium. Sita eſt pertinacia in actu contradicendi Eccleſiæ, ac ſequendi judicium proprium; proindèque quotieſcumque quis ab Eccleſia corrigi paratus non eſt, ſemper eſt pertinax: Et quia paratus corrigi, ſi argumentis convincatur, non habet animum promptum ſequendi Eccleſiæ judicium, at rationes, & argumenta, ſeù proprium judicium, quo de motivis judicare intendit, verè, & realiter eſt pertinax, atque Hæreticus.

Ad ſecundum, aliud eſt quærere credibilitatis motiva; aliud veritatis Myſteriorum Fidei argumenta, quæ ſubſunt Fidei, evidenter credibilia ſunt, etiam Fide Divina, ut inſinuat illud *Pſal.* 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, ideſt, prout exponit Lyranus, *Magis, quàm prima principia ſcientiarum acquiſitarum*, & Ricardus Victor. *lib. pr. de Trinit. cap.* 2. *Ea, quæ revelata ſunt nobis cælitùs tàm multis, tàm magnis, tàm miris prodigiis confirmata ſunt, ut genus videatur dementiæ in his, vel aliquantulùm dubitare*. At eorumdem veritas naturali ratione oſtendi nequit, ſicuti edocet Angelicus *p. p. qu.* 32. *art. p.* ubi adducit auctoritatem Hilarii *lib. p. de Trinit.* & Ambroſii *lib.* 2. *de Fide ad Gratianum*. Sed etiamſi naturaliter oſtendi poſſent, adhuc hæreticus eſſet, qui nollet eiſdem aſſentiri propter Eccleſiæ determinationem, at ſolùm propter motiva, & argumenta, quia judicio Eccleſiæ ſe ſubmittere nollet.

Ad tertium, miraculis Fides noſtra firmatur per ea, quæ docent Sancti

Digitized by Google

&i Patres, Auguſtinus præſertim, atq; Theologi aſſignantes credibilitatis Myſteriorum Fidei motiva; *Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus*, ut dicitur *ad Hebræos* 2. Nihilominùs, ſi quis præcisè ob miracula, & non ob Eccleſiæ propoſitionem, auctoritatemque crederet, Hæreticus eſſet. Quod additur de Panormitano, nullo modo ſuſtineri poteſt: ſcitèq; Cajet. *loc. cit.* ſcriptum reliquit. *Hinc babes quantùm cavere debeas à Panormitano, extrà de elect. in cap. Significaſti, volente, quòd magis Doctoris, quàm Papæ ſententiæ, in bis, quæ ſunt Fidei, ſtandum eſt*, Doctor particularis falli, & fallere poteſt: Summus Pontifex, & Eccleſia in his, quæ Fidei ſunt, nequaquam. Videatur D. Auguſt. *lib.* 5. *de Baptiſmo contra Donatiſt. cap.* 17.

SECTIO XIX.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit peccantem hæreſis peccato ex parvitate materiæ.

VIdetur poſſe. *Primò*. Venialiter peccans in materia hæreſis, hęreticorum pœnis puniri nequit; delinquens autem ex parvitate materiæ venialiter peccat contra Fidem, ut patet in exemplo adducto à Sayro *in Clavi Regia lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 19. quandò quis profert tàm leviſſimum verbum, ut dumtaxat venialis hęreſis ſit. Proptereà iſte abſolvi poteſt à Confeſſario quolibet, cùm Hęreticorum pœnas non contrahat.

Secundò. Peccans ex parvitate materię, in criminibus habentibus annexam excommunicationem, non eſt excommunicatus, ut percutiens leviter Clericum, non incidit in excommunicationem *Can. Si quis ſuadente Diabolo*, & idem dicitur in aliis materiis; ratio eſt, quoniam pœna tàm gravis, ſicuti eſt excommunicatio major, non incurritur, niſi per grave peccatum. Idcircò peccans peccato hęreſis ex parvitate materię non erit excommunicatus.

Tertiò. Datur materiæ parvitas in furto, aliiſque peccatis, & ſic peccans pœnis ſtatutis contrà fures non punitur. Igitur idem aſſerendum erit de hęreſi.

Reſpondeo. Non datur aliquis Hęreticus, qui ab omni Confeſſario abſolvi poſſit ratione parvitatis materię. Siquidem in hęreſi parvitas materię non datur, ut docent Merolla *tom.p.diſp.*2.*cap.*4.*dub.*7. *num.*112. Palaus *tom.p. tract.*2.*diſp.*2.*punct.*7. Sanchez *lib.p. in Decal. cap.* 4.*num.p.* Baldellus *in diſp. theol. tom.p. lib.*3.*diſp.*14.*num.*13. Bordon. *cap.* 9. *num.*73. Diana *part.*5.*tract.*5. *reſol.*28. & alii. Quælibet hæreſis eſt error cum pertinacia circa ea, quæ ab Eccleſia definita ſunt, neque

Digitized by Google

aliquis Hæreticus eſt, niſi aliquid ſentiat, quod ex vi terminorum cum Fide Catholica Romana oppoſitionem contrariam habeat, & ab Eccleſia recedat, negando aliquid ab ipſa definitum. Quamobrem eſt neceſſe, quòd Hæreticus omnis, aut Deum in revelando falſum reputet, aut Eccleſiæ deceptorem, quæ duo in maximam Dei injuriam cedunt, cum ipſe ſit ipſiſſima veritas, juxtà illud *Joan.* 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*; hæreſiſq; fuerit Armenorum, Deum eſſe mendacem, contrà ea, quæ habentur in S. Scriptura *num.* 23. *Non eſt Deus, quaſi homo, ut mentiatur, neq; ut filius hominis, ut mutetur*. Tàm verax eſt Deus, ut neq; de potentia ſua mentiri queat, inquiente Auguſt. *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 25. *Si volunt quid omnipotens non poteſt, habent prorsùs: Ego dicam, mentiri non poteſt*: & Ambroſio *lib.* 6. *Epiſt.* 37. *Impoſſibile iſtud non eſt infirmitatis, ſed virtutis, & majeſtatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem*. Si dicas, hæreſim contingere poſſe abſq; eo, quòd Dei teſtimonium negetur, nimirum credendo omnia, quæ à Deo revelantur, ſed negando, iſtum articulum Fidei eſt à Deo revelatum. Inſto. Qui negat, Deum articulum hunc revelaſſe maximam injuriam irrogat Eccleſiæ, tanquam definiat ea, quæ à Deo revelata non ſunt; ſic enim falſa reputatur, atque in definitionibus ſuis deceptrix. Explicatur. Non credimus aliquid de Fide Catholica, niſi ab Eccleſia proponatur, quarè Theologi aſſerunt, quòd reſolutio Fidei ex parte credentis ſit in Eccleſiæ propoſitionem, non tanquam in rationem formalem credendi, ſed ut inviſibile proponens credibilia, quia oportet eſſe aliquam regulam generalem, & infallibilem proponendi, & explicandi ea, quæ ſunt fide tenenda, *ne ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Paul. *ad Epheſ.* 3. Auguſtini *contra Epiſt. fundam.* erat effatum. *Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoneret auctoritas*. Supponamus modò, aliquem negare articulum iſtum propoſitum tanquam de Fide, eſſe à Deo revelatum; iſte contradicit Eccleſiæ proponenti illum, ut revelatum, negat Eccleſiam eſſe infallibilem regulam in proponendo, docet deceptricem eſſe in definitionibus ſuis. Eſtnè levis culpa hæc, facere Deum mendacem, vel Eccleſiam falſam, & deceptricem? Reſpondebis forſitan; contradicere Eccleſiæ in materia parva eſſe peccatum leve in materia hæreſis. Solutio iſta nullo modo tollerari poteſt, quandoquidem, ſicuti graviſſima injuria fiţ Dei veritati, ac veracitati, ſuſpicari ſolùm, quòd dicere poſſit falſum, etiã in re minima; ita magna impietas, maximumq; ſacrilegium eſt opinari, quòd Eccleſia poſſit decipere in proponendo minimo Fidei articulo; quçcumq; enim falſitas ejuſdem infallibilitati repugnat, nec dici poſſet *columna, & firmamentum*

verita-

veritatis, quemadmodum illam Apoſt. *pr. ad Timoth.* 3. appellat. Dictum fuit Petro. *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua.* *Luc.* 22. idcircò Eccl. Romana nec fallere, nec falli poteſt etiam in modico, in rerum fidei propoſitione. Diſcurſu perbrevi à ſimili aſſertum confirmari poteſt. In criminibus aliis immediatè Deum reſpicientibus materiæ parvitas locum non habet, ſi Deum odiſti, infinitam bonitatem odio habuiſti; ſi falſum jures, mendacem Deum facis; ſic pariter, ſi minimum fidei articulum neges, veritatem Divinam negabis; Hinc, neque in fide parvitas materiæ datur, ex conſequenti dabilis non eſt hæreticus, qui ob materiæ parvitatem à Confeſſario quolibet abſolvi poſſit.

Ad argumenta reſpondetur, non poſſe dari hæreſim, quæ revera ſit talis, & tamen ſit peccatum ſolùm veniale, ut ex dictis patet. Non eſt tàm facile materiæ parvitatem in Clerici percuſſione invenire, quia *appellatione manus violentæ venit non ſolùm quæcumq; percuſſio* (utor phraſi Cajet. *in Sum. verb. Excommunicatio cap.* 10.) *Sed etiam pulveris, aut aquæ injectio: immò, & conſputio, ac violenta acceptio cujuſcumque rei de manu, ſeù perſona Clerici.* Nihilominùs parvitatem materiæ in ipſa, uti in furto, multiſque aliis criminibus, admittamus; adhuc non eſt eadem ratio de hæreſi, quæ immediatè Deum, Eccleſiamque offendit, ac offenſio hæc, etiamſi materia ex ſe parva ſit, eſt graviſſima.

SECTIO XX.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit hæreticum jam in foro externo ab Inquiſitoribus abſolutum?

VIdetur non poſſe. *Primò*. Hæreſis in Bulla Cœnæ Summo Pontifici reſervata eſt, ibi, *Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem abſolvi poſſit.* Igitur Inquiſitores ab excommunicatione hereſi annexa abſolvere nequeunt, ita ut poſteà ab hereſis crimine Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit.

Secundò. Inquiſitores, neque ex vi muneris proprii, nec virtute privilegii alicujus, neque ex conſuetudine, abſolvendi ab hæreſi, pro foro conſcientię, poteſtate gaudent; quandoquidem eorumdem munus eſt judicialiter procedere; privilegium nullum afferri poteſt; conſuetudoque eſt contraria; quinimmò Scriptores aliqui ſunt in ſententia, Inquiſitoribus eſſe vetitum aliquem in foro pœnitentiali audire; ſaltèm certè eſt ſanum conſilium eiſdem ab Eymer. 3. *p. Dir. n.* 59. traditum ut alicujus confeſſiones non audiant. Ergo excõmunicatio in foro conſcien-

ſcientiæ per Inquiſitorum abſolutionem non tollitur; ipſa vero manente, Confeſſarii inferiores ab hæreſi abſolvere non valent.

Tertiò. Magis roboratur præcedens obiectio. Hæretici, nedum excommunicati ſunt in foro externo, verum etiam in interno. Cum ergo Inquiſitores ab excommunicatione in foro conſcientiæ, atq; interno, abſolutionem impartiri non valeant, per abſolutionem datam Hæreticis pœnitentibus, hos non diſponunt ſufficienter ad hoc, ut Confeſſarius quilibet eoſdem abſolvere poſſit.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt Hæreticum in foro externo jam ab Inquiſitoribus abſolutum. Reginald. *in Praxi fori pœnit. lib.* 17. *cap.* 4. *qu.* 3. *num.* 71. Valer. *de differ. utriuſq; fori, v. Hæreſis, differ.* 3. *nu.* 4. Carena *part.* 2. *tit.* 2. *num.* 48. Oviedo *de Fide, controu.* 11. *punct.* 4. *in princ.* Riciull. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 14. *nu. p.* & 2. Delbene, *dubit.* 57. *nu. p.*, ut alios mittam. Poſtquam Hæreticus pœnitens ab Inquiſitoribus, externo in foro abſolutus eſt, ſublata eſt excommunicatio, à qua Inquiſitores abſolvere poſſunt, ut docent Eymeric. 3. *part. Direct. quæſt.* 92. Pegna *ibid. com.* 141. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub.* 5. Card. de Lugo, *de Fide diſp.* 23. *ſect.* 3., quod apertè probat *Cap. Ut Officium, de hæret. lib.* 6. *Si verò aliquis ex prædictis, hæretica labe primitùs abjurata, redire voluerit ad Eccleſiæ unitatem ipſi juxtà formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impendatis*; idemq; quadraginta ferè annis caverat Gregorius IX. reſcripto incipiente. *Ille humani generis*, per ſequentia. *Si verò aliqui hæretica labe penitùs abjurata, ad Eccleſiaſticam redire voluerint unitatem, ipſis juxtà formam Eccleſiæ beneficium abſolutionis impendant, & iniungant eis, quod talibus conſuevit iniungi.* Poſteà Clementis VII. Conſtitutio, *Cum ſicut*, emanavit, in qua Inquiſitoribus eadem facultas abſolvendi ab hæreſi, ejuſq; excommunicatione conceditur. *Vobis etiam, ac Vicariis præfatis extrajudicaliter Lutheranos occultos, & non inquiſitos per Ordinarium, ſivè alios Judices; aut alios quoſcumq; Hæreticos, fautores, defenſores, & receptatores, necnon à Sancta Fide apoſtatas &c. poſtquam hæreſim, qua polluti, & infecti erant, abiuraverint, medio juramento promiſerint de cætero &c. ab hujuſmodi hæreſi penitùs abſtinere, abſolvendi &c.* Facultas hæc eſt de abſolvendo in foro externo, nec particula (*extrajudicialiter*) judicii formam tollit, abiurationem nimirum coram Notario, teſtibuſq;, ſed ſolummodo judicii ſolemnitatem, conſiſtentem in hoc, quòd abiuratio publica ſit. Quapropter per Bullam Cœnæ ſublata non cenſetur, cum hæc de poteſtate abſolvendi in foro interno ſolùm loquatur. Cum ex juris communis diſpoſitione Inquiſitoribus concedatur Hæreticum pœnitentem recipere, eumq; Eccleſiæ reconcilia-

re,

Digitized by Google

re, Sanctiſſimumque Fidei Tribunal ad abſolutionem ab hæreſi juridicè impartiendam inſtitutum ſit, conſequens eſt, ut eiſdem facultas abſolvendi ab excommunicatione tribuatur, ſine qua Eccleſiæ reconciliare hæreticos non valerent. Valdè etiam rationabile eſt, ut Inquiſitores ſecretò poſſint pollutos labe hæreſis ab hac cenſura abſolvere, cum Hæretici occulti ſe ſe prodere non teneantur, & ſæpè Apoſtolicam Sedem petere nequeant. Videri poſſunt Eymeric. 3. *part. Direct. q.* 112. & Pegna *ibidem*. Quando Hæreticus ab excommunicatione abſolutus eſt, tunc ſolùm hæreſis crimen remanet, à quo Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt, Filliuc. *tom.* 2. *Moral. tr.* 22. Reginald. Valer. aliique communiter. Neque arbitreris, hæreticum ab Inquiſitore abſolutum, adhuc cenſura excommunicationis in foro interno ligatum eſſe; nam, quandò Inquiſitores judicialiter hęreticos abſoluunt, ſimul eos abſoluunt etiam in foro conſcientię, Souſa *lib.* 3. *Aph. c.* 4. *n.* 10. Boſſius *de Iubil. ſect. p. c.* 10. §. 2. Delbene *dubit.* 55. *num.* 12. Card. de Lugo, *vbi ſuprà*, Serra 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dub. vnico*, & alii quamplures. Claudendo igitur diſcurſum dicimus, Confeſſarium quemlibet abſoluere poſſe hæreticum ab Inquiſitoribus iam in foro externo abſolutum.

Ad primum, hæreſis in Bulla Cœnæ Summo Pontifici reſervatur, quantùm ad forum conſcientiæ, ſed ibi nihil determinatur de tali abſolutione in foro judiciali; relinquitur enim, quantùm ad hanc, jus commune in ſuo robore. Cum igitur ex jure communi Inquiſitores gaudeant facultate abſolvendi ab hæreſi, ejuſque excommunicatione, ut vidimus, hac uti poſſunt, non obſtante Bulla Cœnæ.

Ad ſecundum, dupliciter intelligi poteſt abſolutio in foro conſcientiæ. Uno modo pro abſolutione ſolummodò in Sacramento Pœnitentiæ, & abſque cauſæ cognitione, & hoc modo Inquiſitores ab excommunicatione in hæreticos lata abſolvere non poſſunt, ut dicemus *diſcept. ſeq.* Alio modo pro abſolutione judiciali, cum cauſę cognitione coram Notario, & teſtibus, quæ poſteà proſit etiam in foro interno, animæ, atque conſcientiæ, & hæc impartiri poteſt per Inquiſitores, qui coram Notario, teſtibus, & judicialiter abſolvere debent, & non poſſunt dare abſolutionem in Confeſſionario eo modo, quo Confeſſarii à peccatis abſoluunt, ſed in ſcriptis redacta depoſitione per Notarium, abjuratione prævia, & ſedendo pro Tribunali; tamen abſolutio ſic data prodeſt abſoluto in utroq; foro, prout docent Scriptores relati ſuperiùs. Non eſt neceſſe, quòd abſolutio ab excommunicatione in foro conſcientiæ impendatur in Confeſſionario, vel actuali confeſſione, ſed poteſt extra illam fieri, ut rectè Serra *ubi ſupra*, qui etiam cum aliquibus infert, poſſe Epiſcopum in abſen-

abſentia abſolvere Monialem ab excommunicatione, & poſteà committere alicui approbato Confeſsario, ut eam abſolvat, quia tale peccatum ſolùm ob excommunicationem eſt Papæ reſervatum, qua ablata, non reſervatum remanet. Ex his patet reſponſio ad tertium.

SECTIO XXI.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Hæreticum negativum convictum, ac brachio ſæculari à Judicibus Fidei traditum?

Videtur, quòd ſic Portel. *in addit. ad dubia Regul. v. Reus num.* 2 cujus opinionem referunt, & non impugnant Diana *part. pr. tract.* 5. *reſol.* 8. & Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub. p.* ſed controverſiam indeciſam relinquunt, & Carena *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 57. ipſam vocat magis piam. In hujus ſententiæ confirmationem ſequentia adduci poſſunt. *Primò*. Reus negativus de aliis delictis convictus, atque ad ſupplicium ductus, à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt, juxtà communiorem Doctorum ſententiam, nec eſt obligandus crimen fateri, quoniam ampliùs Judicis interrogatio non durat, cum ille, lata ſententia, proprio officio functus ſit. Cur de hæretico negativo idem aſſerendum non erit?

Secundò. Reus in S. Officio non tenetur ſe prodere, inquiente Chryſoſt. *hom.* 31. *ad Hebræos tom.* 4. *Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alium accuſes*; Eſtque in articulo mortis conſtitutus, quo in caſu ab omni Confeſſario hæreticus excommunicatus abſolvi poteſt, ut dicemus infrà. Et quamvis poſſit adire Inquiſitorem, non tenetur pœnitens ſuperiorem adire pro abſolutione à reſervatis, niſi in foro Sacramentali, & Inquiſitores Sacramentali, pœnitentialive in foro ab excommunicatione, & hæreſi abſolvere nolunt. Idcircò hæreticus negativus, de quo loquimur, à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt.

Tertiò. Si talis abſolutionem ab Inquiſitore petere teneretur, daretur locus quorundam Judicum iniquæ conſuetudini, qui ſe reum ad mortem damnare ſimulant, ut in mortis articulo illo conſtitutus ſuum errorem fateatur, quem ſi detegat, ſtatim ad mortem damnant; ſi neget, ad carcerem reducunt. Impietatis hujus ſuſpicio omnis à Sacro Fidei Tribunali abeſſe debet. Undè dicendum, Hæreticum negativum morti damnatum, & ad ſupplicium ductum à Confeſſario quolibet abſolvi poſſe.

Reſpondeo. Extrà dubium eſſe, Confeſſarium quemlibet abſolvere

Digitized by Google

vere poſſe prætenſum reum S. Officii, ad mortem damnatum, caſu quo innocens ſit, & Confeſſarius notitiam habeat evidentem ejus innocentiæ, vel in actuali confeſſione ipſe reus innocentiam propriam fateatur; quoniam talis Hæreticus non eſt, nec excommunicatus; ac Confeſſarius ſecundùm acta, & probata judicare non debet, at ipſius pœnitentis conſcientiæ, quæ locum teſtis habet, credere debet. Extrajudicialis eſt, nullaq; reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ cognitio extrà Confeſſionem habita, & ad nihilum deſervit, cum Sacerdos in Confeſſionario ſedeat, non ut homo, ſed tanquam Dei Miniſter. *Cap. ſi Sacerdos, de Offic. Ordin.* Controverſia reducitur ad Hæreticum negativum, verè talem in foro externo, per ea, quæ allegata, & probata ſunt, & etiam interno, ob confeſſionem propriam factam Sacerdoti; & de hoc loquendo, ſentio, non poſſe à Confeſſario quolibet abſolvi. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 7. *num.* 11. *in fine*. Suarez, *de Fide diſp.* 23. *ſect.* 2. *num.* 5. Card. de Lugo, *tract. eod. diſp.* 23. *ſect.* 3. & *de juſt. & jure diſp.* 40. aliiq; plures. Ratio eſt, quoniam iſte eſt excommunicatus, ſicut alii Hęretici interni ſimul, & externi, excommunicatione in Bulla Cœnæ Summo Pontifici reſervata; & ab Inquiſitore abſolutus non eſt in foro externo; manente autem tali excommunicatione, Confeſſarii ſimplices abſolvere nequeunt. Mihi obiicis mortis articulum, in quo Confeſſarii omnes ab hæreſi, & communicatione abſolvere poſſunt, & dicis, hunc in articulo iſto conſtitutum eſſe, utpotè morti damnatum, & ad ſupplicium ductum. Satisfacio, & magis aſſertum firmo. Sacerdos non gaudens facultate abſolvendi à reſervatis, in mortis articulo abſolvere poteſt, quando non adeſt, vel adiri non poteſt Prælatus, ac Superior habens facultatem ordinariam, vel delegatam abſolvendi ab eiſdem; at, ſi ille, cui caſus reſervati ſunt, adſit, nec licitè, nec validè abſolvere poteſt, datur ſiquidem talis poteſtas in defectum proprii Sacerdotis habentis ordinariam, delegatamvè poteſtatem. Et, ſi articulus mortis, probabilevè mortis periculum ità proximum non ſit, ut ſtatim mors ſequatur; ſed ferè certum, quod mors differretur tempore ſufficienti ad recurrendum ad Inquiſitorem, vel Epiſcopum, Hæreticus abſolvendus non eſt, niſi habita facultate ab Inquiſitore, vel Epiſcopo. Simanch. *de Cath. Inſtit. tit.* 3. *num.* 3. Sanchez. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 3. Covar. 4. *decret. p.* 1. §. 11. *num.* 8. *in fi.* Souſa *lib.* 3. *Aphoriſ. cap.* 4. *num.* 3. Delbene *dubit.* 60. *num.* 4. ubi alios refert. In caſu noſtro adeſt Inquiſitor potens jure ſuo; necnon paratus Hæreticum à cenſura abſolvere, iſteq; abſq. ſui incommodo Inquiſitorem adire poteſt, cumq; jam ad mortem damnatus ſit, nonniſi beneficium tali ex mora ſperare poteſt; & non eſt mortis periculum, quoniam ſanus eſt, nec enim in articulo mortis naturalis conſtitutus,

per ſe loquendo, ad patibulum duceretur. Quamobrem Confeſſarius in itinere, vel ſupra patibulum ipſum abſolvere non poteſt, ſed recurrendum eſt ad Inquiſitorem, vel Epiſcopum. At contingere poteſt, quòd reus proprium crimen fateri paratus ſit pro illo inſtanti, & pro tempore, quoad Inquiſitorem ſit recurſus, mutetur; ideòq; ne talis anima pereat, ſtatim per Confeſſarium abſolvendus eſt. Si verè pœnituerit, in propoſito manebit, abſolutionemq; expectabit ab habente facultatem impartiendi illam; palamq. errorem proprium fateri non erubeſcet. Timor autem mutationis ipſius voluntatis pro nullo eſt habendus, quoniam perditio ſui ex ſe ipſo; ac ſequeretur, Hęreticum abſolvi poſſe à quocunq; Confeſſario, quoties ſigna pœnitentiæ dederit, cum ſemper poſſit eſſe timor, nè propoſitum mutet. Inſuper illuſtrari poteſt, ex diſcrimine reperto inter Hæreticum negativum, & reos negativos de aliis delictis; quoniam Hæreticus negativus præſumitur decedere in hæreſi, quamdiù non confitetur, impœnitens, nolendo ſatisfacere Eccleſiæ pro culpa publica, oblatam reconciliationem, abſolutionemq; reſpuendo; hinc ad ſcandalum tollendum, ſi verè ſit reus, crimen proprium fateri tenetur: Nec enim præſumitur negare ob intereſſe proprium, cum jam nulla ſpes evadendi infamiam, pœnam, necemvè remaneat; ſed ob pertinaciam, obſtinationem, & impœnitentiam, & abſolutus à cenſura non exiſtimatur, dum eſt in hoc ſtatu. Quæ ratio non militat in negante alia delicta, qui, poſt latam ſententiam, ampliùs non tenetur fateri crimen proprium, nec eſt excommunicatus. Igitur Hæreticus negativus convictus, brachioq; ſæculari traditus à quolibet Confeſſario abſolvi non poteſt.

Ad primum ſolutio patet ex mox traditis, & Doctores cenſent, non eſſe eodem modo diſcurrendum de Hęretico negativo ad ſupplicium ducto; ac negante alia delicta. Videantur Sanchez, & Card. de Lugo *locis citat.* Hæreticus ab Eccleſia receſſit, debetq; eidem reconciliari, ac ſatisfacere per abjurationem publicam, ſine qua abſolvi non poteſt; ad quod non tenentur rei aliorum criminum.

Ad ſecundum, non ſe prodit Hæreticus, quando jam eſt convictus, damnatus, diffamatus, atq. ad ſupplicium ductus, ſed jam eſt proditus ab aliis, nec eidem locus ſperandi ſalutem ſuam ampliùs relinquitur; ſicuti non prodit ſe ille, qui juridicè interrogatus reſpondet, proprium errorem fatendo, ut inquit S. Doctor 2.2. *q.*69. *art.p.ad p.* per hæc verba *Quando aliquis ſecundùm ordinem juris à Judice interrogatur, non ipſe ſe prodit, ſed ab alio proditur, dum ei neceſſitas reſpondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur.* Videatur etiam Cajet. *ibidem.* Mortis articulus ei non ſuffragatur, ut diximus. Ad id verò, quod ultimo loco additur, dicimus, pœnitentem teneri adire Superiorem

pro

pro abſolutione accipienda ſub illa forma, qua Prælatus vult, aut poteſt illam dare.

Ad tertium, præſumi nequit de Judicibus fidei iniquitas illa, de qua in argumento; cum Sacrum Inquiſitionis Tribunal Sanctiſſimum ſit, omniq. cum ęquitate procedat. Cum Inquiſitores deputati ſint ad Dei gloriam, Fidei, & Eccleſiæ augmentum. *Cap. Ut Inquiſitionis, de hæret. in 6. Clem. Multorum, eod. tit.* Royas, *de hæret. part.* 2. *num.* 410. omni ſtudio officium ad iſtud eliguntur viri Fidei zelatores accerrimi, converſatione honeſti, prudentia circumſpecti, conſtantia firmi, ſcientia eminenter eruditi, virtutibuſq; omnibus circumfulti; ſicuti etiam docent Eymeric. 3. *part. Direct. q. p.* Pegna, *com.* 50. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap. p. num.* 7. de quibus ſuſpicio dictæ iniquitatis haberi non poteſt.

SECTIO XXII.

An valida ſit abſolutio ab excommunicatione, data per Inquiſitorem hæretico ficté converſo?

VIdetur Emanueli Sà, *in v. Hæreſis, num.* 2. validam eſſe, quæ opinio comprobari poteſt. *Primò*. Inquiſitor non abſolvit in foro Dei, & pœnitentiali, at externo, & judiciali, in quo fictio purè interna, mentaliſq; ſub Eccleſiæ viſibili judicio non cadens pro nulla habetur; atq. adeò abſolutio ab Inquiſitoribus data, fictione non obſtante, valida erit.

Secundò. Si hæc abſolutio invalida eſſet, Hæreticum ſic abſolutum rurſus in foro externo abſolvere oporteret coram Notario, caſu quo pœniteret, propriamq. fictionem detegeret; & tamen Scriptores neceſſitatem iſtam negant. Trullench. *lib. pr. in Decal. cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 8. Palaus *p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 5. propterea aſſerendum, validam eſſe abſolutionem datam ficté converſo ad Fidem Catholicam.

Tertiò. Si Hæreticus aliquis ad Fidem rediens, hæreſes aliquas externo in foro, coram Inquiſitore fateatur, quibuſdam aliis hæreſibus tacitis, & ab Inquiſitore abſolvatur, rectè abſolutus eſt, juxtà probabilem Doctorum ſententiam; & tamen iſte ficté converſus eſt, cum in confeſſione ſua diminutus ſit. Idcircò bene concluditur, abſolutionem ficté converſo impartitam nullam non eſſe.

Reſpondeo. Abſolutio data Hæretico ab Inquiſitore in utroq. foro invalida eſt, ſi Hæreticus fictè convertitur, itaut poſteà reſipiſcens nova egeat abſolutione. Souſa *lib.* 3. *Aphoriſ. cap.* 4. *num.* 14. Suarez *tom.* 5. *de cenſur. diſp.* 7. *ſect.* 7. *num.* 12. & Sanchez *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 8. ab

eodem relati, Palaus, Trullench, Paſſerin. in *Cap. Ut Officium de hæret. in 6. num.* 81. & alii. In aſſerti hujus probationem ſic diſcurro. Abſolutio cenſuræ falſa ex cauſa, intantum validitatem ſortiri poteſt, inquantum falſa cauſa Judicem ad abſolutionem impendendam non movet, quia nimirum Judex, etiam veritate cognita, abſolveret; At, ſi per fraudem extorta ſit, Judexq; fraude cognita, nullatenus impenderet abſolutionem, hæc nulla eſt; præſertim, ſi cauſa falſa allegatas principalis fuit ad abſolutionem obtinendam. Henriq. *lib.* 13. *de excomm. cap.* 30. *num.* 4. & alii ferè communiter. Diſpenſatio in voto, Matrimonio, irregularitate, ac lege, ex cauſa falſa, non tenet, & reſcriptum gratiæ, per ſubreptionem obtentum, eſt ipſo jure nullum, uti in litteris ad beneficia contingit. Paſſerin. *Cap. Si is, de Filiis Preſbyt. num.* 22. *in* 6. quoniam in contractibus bonæ Fidei exuberantia bonę Fidei adeſſe debeț. Joan. And. Butr. Felin. aliiq; à Paſſerino adducti. In caſu noſtro, abſolutio ab excommunicatione eſt ex cauſa falſa, quia Hæreticus allegat pœnitentiam, dolorem, ſeù reſipiſcentiam, quæ falſa ſunt, atq. ideò abſolutio obtenta, non ſubſiſtit, ſed verè reſipiſcens nova abſolutione indiget. Abſolutio, quæ datur per Inquiſitores vim obtinet reconciliandi Hæreticum Eccleſiæ; imò ad hoc datur, & petitur, ut ille, qui per hæreſim ab Eccleſia præciſus erat, denuò intrà eandem recipiatur; hinc in abſolutione dicitur, *Reſtituo te Sacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ &c.* & *in Cap. Ut Officium, de hæret. in* 6. dum Pontifex concedit Inquiſitoribus facultatem abſolvendi ab excommunicatione, inquit. *Si verò aliquis ex prædictis, hæretica labe primitùs abjurata, redire voluerit ad Eccleſiæ unitatem, ei juxtà formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impendatis.* Per abſolutionem fictè converſo elargitam, iſte intrà Eccleſiæ gremium non recipitur. Audiamus Auguſtinum ſatis aptè ad rem loquentem *lib. unic. de Unit. Eccleſ. cap.* 25. *Et multi tales ſunt in Sacramentorum Communione cum Eccleſia, & tamen jam non ſunt in Eccleſia; alioquin, ſi tunc quiſque præciditur, cum viſibiliter excommunicatur, conſequens erit, ut tunc rurſus inſeratur, cum viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergo fictus accedat, atq; adverſus veritatem, & Eccleſiam cor inimiciſſimum gerat; quamvis peragatur in eo illa ſolemnitas, nunquid reconciliatur, nunquid inſeritur? Abſit. Sicut ergò jam denuò communicans nondum inſertus eſt: ſic, & antequam viſibiliter excommunicatur, quiſquis contrà veritatem, qua convincitur, & arguitur, inimicum geſtat animum, jam præciſus eſt.* Fictè igitur ad Eccleſiam rediens adhuc ab Eccleſia præciſus eſt, atq. ab excommunicatione abſolutus dici nequit. Addamus motivum aliud prædicta roborans. Niſi adſit in Superiore voluntas, intentioq; abſolvendi, nulla gaudet abſolutio efficacia; quapropter *Cap. Abſolutionis vim, de iis, quæ vi,*

vel

Digitized by Google

vel metu, *in* 6. habetur, quòd abſolutio, ſeù revocatio excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, per vim, metumvè extorta, eſt ipſo jure nulla, quoniam non eſt omninò voluntaria, & libera, ſi metus gravis ſit, cadenſq; in virum conſtantem; quinimò abſolutionem ſic extorquens eſt excommunicatus. Paſſerin. latè *in dicto Cap. Abſolutionis vim*, & alii Canoniſtæ. Intentio Judicis Fidei non fuit abſolvere fictè converſum, quoniam iſte ipſum fefellit. *Ubi enim fides ipſa ficta eſt* (verba ſunt Auguſtini *lib.* 5. *contrà Fauſtum cap.* 11.) *& qui ea ſimulatè utitur, fallit; & qui eam veram exiſtimat, fallitur*. Mens autem, atq. intentio Inquiſitoris erat abſolvere pœnitentem, non deceptorem, ad quod facit etiam *lex*, *Si quis*, *§. non videtur*, *ff. de reg. jur.* videriq; poſſunt Decius, ac Cagnol. *ibid.* necnon Homobon. *de exam. Eccleſ. tom. p. tract.* 7. *part.* 2. *q.* 7. *circà finem*; Aliàs fraus eſſet in ſuffragium fraudulenti. Defectum intentionis in abſolvente fictum probant aliqui ex forma abſolutionis, in qua dicunt eſſe conditionalem, *Si ita eſt*. Cœterùm in forma abſolutionis, quâ utimur nos in hac Romana, generali, & ſuprema Inquiſitione, talis conditio non extat; in forma tamen abjurationis ſunt verba iſta. *Con cuor ſincero, e Fede non finta, abjuro, maledico, e deteſto le ſudette ereſie da me credute, e tenute*; virtute quarum Judex Fidei movetur ad abſolutionem impendendam, nec abſolvere intendit, niſi abjurantem corde ſincero, & Fide non ficta. Tantum abeſt, quòd Eccleſia fictè converſum abſolvere intendat, ut potiùs graviter puniat fictè abjurantes. Videatur Conſtitutio I. Innoc. IV. *Cum adverſus*, in qua dicitur. *Item mortis ſententiæ ducimus addicendos, ſi quos Hæreticorum ad judicium tractos in extremæ vitæ periculo hæreſim abjurantes, poſtmodum de falſo juramento conſtiterit, & Fide mentita convinci, ac eos contigerit ejuſdem morbi ſpontaneam incurrere recidivam: ut ſibi damnabilius iniquitas ſit mentita; & pœnam debitam mendacium non evadat*. Puniendum eſt mendacium iſtud in re tàm gravi, non beneficio abſolutionis præmiandum. Ex his habetur, non poſſe Confeſſarium quemlibet abſolvere Hæreticum fictè converſum per Inquiſitorem abſolutum. Aſſertioni noſtræ ſe ſubſcribit etiam P. Maſinus *in Arſen. part.* 10. *aſſert.* 157.

Ad primum dicitur, quòd licèt fictio ab Eccleſia cognita non ſit, tamen operatur, ut abſolutio per dolum à Judice Fidei extorqueatur, & conſequenter, ut abſolutio pro nulla habeatur à quocunque cognoſcente fictionem; facit, ut Hæreticus non ſit in bona fide, ſicut accidit in eo, qui per falſi expreſſionem diſpenſationem ſuper irregularitate obtinuit, impedimento matrimonii, aut gravi voto. Undè, ſi Hæreticus ſic abſolutus in foro externo, coram Confeſſario fictionem detegat, Confeſſarius habebit ipſum pro non abſoluto ab excommunica-

pica-

nicatione, & ab hæreſi eundem abſolvere non poterit.

Ad ſecundum dicunt nonnulli, quòd ſi fictio illa omninò interna eſſet, neminique nota, nec poſteà Hæreticus externè hæreſim propriam manifeſtaret, ab Inquiſitoribus ſine Notario abſolvi poſſet, omiſſa omni aliâ judicii ſolemnitate, ſicut poteſt revalidari matrimonium, quod in præſentia Parochi invalidum fuit ex defectu conſenſus interni abſque eo, quòd ad illius revalidationem præſentia Parochi neceſſaria ſit, juxtà probabilem ſententiam, ſufficit namq; ſolemnitas priùs adhibita. Trullench. Palaus, de Lugo, & alii. Meliùs tamen dicitur, iſtum reabſolvendum coram Notario, & teſtibus, quoniam prior abſolutio omninò nulla fuit, & Inquiſitor non poteſt alio modo abſolvere, quàm in foro judiciali; quapropter ad hoc, ut nova abſolutio debeat eſſe valida, neceſſe eſt, ut judicialiter abſolvat. Ad tertium patebit reſponſio ex mox dicendis.

SECTIO XXIII.

An ille, qui hæreſes aliquas Inquiſitori manifeſtavit, ſuppreſſis quibuſdam aliis inculpabiliter, per abſolutionem ab expreſſis obtentam, abſolutus maneat etiam à tacitis?

Videtur Oviedo *controv.* 11. *punct.* 4. probabilis pars negans. *Primò.* Excommunicationes non ſunt connexæ, & poſtquam omnes cognitæ eſſent, Inquiſitor, rationabili ex cauſa, ſi reperiretur, vel ſaltèm validè ab una, non ab alia abſolvere poſſet. Non ergo ex eo, quòd Hæreticus abſolutus ſit ab una, vel pluribus excommunicationibus contractis, ob hæreſes manifeſtatas, cenſendus eſt abſolutus, etiam ab aliis, quamvis invincibiliter tacitis.

Secundò. Ideò in Sacramento Pœnitentiæ, dum quis à peccatis enarratis abſolvitur, ab aliis inculpabiliter, nimirùm propter invincibilem oblivionem omiſſis, per accidens abſolutus cenſetur, quia in Sacramento Pœnitentiæ, dum crimen unum remittitur, gratia habitualis, incompatibilis omnibus cum lethalibus, etiam inculpabiliter oblitis, infunditur; unumque lethale delictum abſque alio remitti nequit; quæ ratio in excommunicationibus ceſſat.

Tertiò. Ex eo, quòd venialium unum ſine alio aboleri poteſt, non eo præcisè, quòd in Sacramento Pœnitentiæ unum veniale tollitur, aliud etiam delefur. Igitur præcisè ex eo, quòd ab una excommunicatione quis abſolutus ſit, ab aliis etiam abſolutus non erit.

Reſpondeo. Ille, qui unam, pluresve hæreſes Inquiſitori manifeſtavit, & ab excommunicatione ob talem, vel tales hæreſes abſolutus,

lutus fuit, ab excommunicationibus etiam, in quas incidit propter hæreſes omiſſas inculpabiliter, abſolutus cenſetur. Souſa *lib.3. Aphor. cap.4. num.*15. Trullench. *lib.p. in Decal. cap.3. dub. num.*15. *Sanchez lib.* 2. *cap.*12. *num.*9. Paſſerin. *in cap. Ut Officium num.*81. *de hæret. in* 6. Maſinus *in Arſen. p.*10. *aſſert.*158. ubi addit, quòd ſi abſolutus non maneret ab Inquiſitore, adhuc à Confeſſario quolibet abſolvi poſſet, & alii. Ille, qui Sacerdoti approbato omnia crimina lethalia, quorum conſcientiam habet, confitetur, & inculpabiliter aliqua tacet, eo quod poſt diligens conſcientiæ examen, ipſorum oblitus eſt, nedùm à delictis Sacramentali in confeſſione expreſſis, verum, & ab aliis, quæ inculpabiliter reticuit, abſolutus eſt juxtà commune Theologorum placitum, de quo Sanctus Doctor *in ſupplem. qu.*9. *art.*2. *ad* 3. D. Anton. 3. *part. tit.*14. *cap.*19. §.6. Sylveſt. *v. Confeſſio p. num.*12. Tabien. *eod. v. p. num.*14. Turrecrem. *de Pœnit. diſt.*5. *Can. Conſideret §. Dolendum, nu.*8. Cajet. *v. Confeſſio*. Cur idem aſſerendum non erit de illo, qui hæreſes aliquas inculpabiliter reticet? Inquis; peccata lethalia connexa eſſe, itaut unum ſine alio dimitti nequeat, excommunicationes verò connexionem iſtam non habere. Non ſatisfacis. Nam connexio lethalium omninò de materiali, & per accidens ſe habet in materia hac abſolutionis. Ratio formalis, & præciſa, propter quam peccata oblita remittuntur, eſt inculpabilitas, bonaque fides pœnitentis, ſeù non conſcientia horum peccatorum poſt diligens, ſufficiens, exactumque examen, qua poſita, etiam ſi per impoſſibile, peccatum unum ſine alio remitti poſſet, gratiaque habitualis aliqua, & non omnia crimina expelleret, adhuc pœnitens ab omnibus abſolutus eſſet; quoniam confeſſio per ſe, & formaliter integra eſſet, ut optimè Cajetanus, è converſo, bona fide ſublata, & ſtante dicta connexione, non eſt abſolutus. Sicut mala fides operatur, quòd ille, qui ſcienter peccata aliqua reticet, nec à criminibus expreſſis ſit abſolutus, ſic bona fides facit, ut nedùm ſit abſolutus ab enarratis, ſed etiam ab inculpabiliter omiſſis. Quamvis venialia ſic ſe habeant, quòd unum abſq; alio remitti poſſit per ea, quę tradit Ovied. ipſe tamen ſi venialia omnia, de quibus aliquis memoriam retinet, Confeſſario manifeſtaret, aliis invincibiliter oblitis non expreſſis, ab omnibus abſolutionem obtineret propter rationem ſuperiùs adductam, videlicet, quia eſſet integra venialium confeſſio formaliter, & per ſe, quidquid eſſet materialiter, & per accidens; actus autem judicandi ſunt formaliter, & per ſe, non materialiter, & per accidens. Formalis, & præciſa hæc ratio in caſu noſtro militat, cum ſupponamus, hæreticum Inquiſitori hæreſes omnes exprimere, de quibus conſcientiam habet, nec tacere, niſi illas, de quibus non recordatur, & ſicuti humano modo peccata oblita ſub confeſſis intelliguntur,

tur, licetiam hæreſes Inquiſitori, ex oblivione non expreſſæ, ſub expreſſis humano modo continentur. *Inſuper*. Abſolutus ab habente legitimam poteſtatem à reſervatis, ſi aliquod bona fide tacuerit, illius immemor, manet deinceps liber à reſervatione obliti, & poteſt à quocumque Confeſſario abſolvi. Gabriel. *in* 4. *diſt*. 17. *q.p. art*. 3. Adrian. *q*. 4. *de Confeſs*. Sylveſt. *v. Confeſſio*. Cano *in relect. de pœnit. p*. 5. Tabien. & alii, quos refert, ac ſequitur Nugnus *in addit. ad* 3. *p. qu*. 9. *art*. 2. *p*. 2. *dub*. 4. Cardin. de Lugo *de pœnit. diſput*. 20. *ſect*. 7. Duard. *in Bulla Cœnæ lib*. 3. §. 2. *qu*. 12. *num*. 23. ubi etiam reſolutioni noſtræ adhæret. Et tamen caſus reſervati non ſunt inter ſe connexi, ut ab uno abſolvi nequeat pœnitens, quin ab omnibus abſolvatur, quoniam Superior poteſt auferre Sacerdoti inferiori juriſdictionem, ne ab hoc ſolùm directè abſolvere poſſit, relicta facultate abſolvendi ab aliis. Quarè, non obſtante, quòd excommunicationes connexæ non ſint, adhuc pœnitens in caſu noſtro abſolutionem ab inculpabiliter oblitis obtinebit. In abſolutionis materia abſolventis mens, ac intentio maximè attendenda eſt, & juxtà hanc illa penſanda, & libranda. Certè Inquiſitoris mens, quoties ab excommunicatione aliqua abſolvit, eſt ab omnibus hæretico abſolutionem impartiri, dummodò fraus, dolusvè ex parte pœnitentis non reperiatur. Quoties ſubditus bona fide, & cum ſimplicitate Superiori confitetur, eique cordis ſui latebras detegit, jam facit, quod in ſe eſt, ut Superior ejus conſcientiæ neceſſaria remedia adhibeat; undè non eſt, cur Inquiſitor contentus non ſit ejuſmodi manifeſtatione, ut ab excommunicationibus, etiam ob hæreſes oblitas contractis, non abſolvat. Infertur Confeſſarium quemlibet abſolvere poſſe ſic abſolutum ab Inquiſitore.

Ex his patet ſolutio ad objecta, non enim aſſertionem noſtram fundamus in connexione, ſed bona fide pœnitentis hæretici, ac intentione Inquiſitoris; Connexio autem, & non connexio, quam tanti facit Oviedo, ad rem nihil conducit.

SECTIO XXIV.

An, qui ſcienter hæreſes aliquas Inquiſitori tacuit, ab excommunicationibus contractis propter expreſſas, abſolutus ſit?

Videtur Sanch. *lib*. 2. *in Decal. c*. 12. Souſ. *lib*. 3. *Aph. c*. 4. *n*. 15. Hurtado *diſp*. 74. *n*. 68. Trull. *lib. p. in Decal. c*. 3. *dub*. 5. *n*. 10. Maſin. *p*. 10. *aſſert*. 158. aliiſq; eſſe abſolutum. *Primò*. Quia quoties aliquis ob varias cauſas excommunicatus eſt, abſolutio tenet ab excommunicatione contracta propter cauſam expreſſam, & ſic in caſu noſtro hæreticus abſolutus

ſutus erit ab excommunicationibus, quibus ob hereſes expreſſas innodatus erat.

Secundò: Si quis hæreticus omnes hæreſes, at non omnes illarum actus externos Inquiſitori confeſſus fuerit, ab excommunicationibus contractis propter hæreſes, quarum actus expreſſit, abſolutus erit. Igitur idem dicendum erit in caſu noſtro.

Tertiò: Excommunicationes inter ſe connexæ non ſunt, ſed quis abſolvi poteſt ab una abſque eo, quòd ab aliis abſolutus ſit; nec eſt eadem ratio de peccatis mortalibus. Undè quamvis ille, qui ſcienter lethale aliquod reticet, ab aliis non ſit abſolutus; tamen ſecus dicendum erit de excommunicationibus.

Reſpondeo: Qui ſcienter hæreſes aliquas Inquiſitori reticuit, abſolutus non cenſetur ab excommunicationibus, quarum vinculis erat innodatus propter hæreſes expreſſas. Paſſerin. *in cap. Ut Officium num. 81. de hæret. in 6.* Lupus *in Edicto S. Offic. lib. 10. diſp. 8. art. 2. diffic. 3.* Card. de Lugo *de Fide diſput. 23. ſect. 3. num. 93.* Ovìedo *eod. tract. controv. 11. punct. 4.* Palaus *tract. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 2.* & alii. Motivum ſumunt hi tres poſteriores Scriptores ex forma, qua Inquiſitores in hæreticis abſolvendis utuntur, dicentes in hac contineri ſequentia verba. *Si ex corde convertitur, nihil tacendo, vel de aliquo alio, quod ſit contra noſtram Sanctam Fidem*; ex quibus colligunt, quòd ſi ſcienter hæreticus aliquas hæreſes tacuerit, abſolutio quoad aliquam partem non ſubſiſtit, quia tota ſub conditione fuit. Cœterùm in forma, qua utimur nos in Romana, & generali Inquiſitione, in abſolutione ab hæreſi dicta verba non habentur. Nihilominùs certum eſt Eccleſiæ intentionem, Judicumque Fidei eſſe abſolvendi illos ſolummodò, qui plenam dicunt veritatem, tàm de ſe, quàm de aliis. Si de ſpontè comparentibus loquamur, Concilium Biterenſe *cap. 2.* habet, *Infrà quem terminum venientes, pœnitentes, & dicentes plenam de ſe, & de aliis veritatem, habeant impunitatem mortis, exilii, & confiſcationis bonorum*. Ad hoc, ut a pœnis corporalibus liberentur, neceſſe eſt, quòd ſint pœnitentes, plenamque de ſe, & aliis veritatem fateantur. Igitur etiam ad hoc, ut à ſpirituali pœna in hereticos lata abſoluti ſint, videlicet excommunicatione, eadem requiruntur, non enim minùs exigi videtur ad remiſſionem pœnæ ſpiritualis, quàm corporalis. Hæc eadem ratio militat, nedùm de ſpontè comparentibus, ſed hæreticis omnibus. Si quidem Judices Fidei abſolvere non intendunt ſictè accedentes, & converſos, at ſolummodò pœnitentes; cujus ſignum eſt, quòd ſi ipſos impœnitentes deprehendant, ad Sacramenta eos non admittunt; hæreticus verò ex malitia, & ſcienter aliquas hæreſes reticens eſt ſictè converſus, quoniam ſi ex corde, ve-

 rèque

Digitized by Google

rèque pœniteret, in ſua confeſſione diminutus non eſſet, bona fide, & non fraudulenter procederet. Sicuti ergo Inquiſitoris mens, dum aliquem bona fide accedentem abſolvit, eſt abſolvere ipſum etiam ab excommunicatione contracta propter hæreſim, quam inculpabiliter, itaut ſic ab oppoſito, ſtante mala fide hæretici, in ſcienter celandis aliquibus hæreſibus, dicendum eſt, ipſius abſolventis mentem non eſſe abſolvere ab excommunicationibus contractis propter hæreſes expreſſas, quemadmodùm mala fide omittens, ac tacens in Sacramentali confeſſione crimen aliquod lethale, ab aliis abſolutus non remanet, cum integra non ſit confeſſio, neque materialiter, neque formaliter. Si Eccleſia deprehendat aliquem fuiſſe fictè converſum, vel diminutum in ſua confeſſione illum punit, etiam mortis pœna. *Conſtitut. p.* Innoc. IV. *Cum adversùs*; praxiſque eſt ſpontè comparentibus beneficium ſpontaneæ comparitionis non ſuffragari, ſi diminuti ſint; relapſoſque morti tradere, quoniam præſumitur prima vice Eccleſiam decepiſſe; idcircò apparet, Eccleſiam non habere intentionem abſolvendi illos, qui mala fide procedunt, quales ſunt hæreſim aliquam ſcienter Inquiſitori celantes.

Ad primùm, aliquandò Eccleſia ante abſolutionem non expoſcit in reo cordis dolorem, & pœnitentiam veram, ſaltem de omnibus delictis, propter quæ variis excommunicationibus fuit ligatus, at ſolùm de crimine iſto, propter quod hanc excommunicationem contraxit. Ex. gr. quis excommunicatus eſt propter homicidium, & propter furtum; petit abſolutionem ab excommunicatione, in quam incidit ob homicidium, Eccleſia in abſolvendo iſtum à tali vinculo non obſtringit ipſum ad pœnitendum etiam de furto, & ſic abſolutus manet ab una, non ab alia excommunicatione. Aliquandò petit à pœnitente dolorem, & pœnitentiam de omnibus delictis, propter quæ excommunicatus fuit, ac confeſſionem integram eorundem, ut in caſu noſtro; non enim Inquiſitor abſolvit ab excommunicatione contracta ob hæreſes, niſi præcedente dolore, & confeſſione omnium hæreſum, & tunc deficiente vera converſione, integraque confeſſione non intendit ab aliqua excommunicatione abſolvere, ut dictum eſt.

Ad ſecundum, ſi actus ſcienter omiſſi alicujus hæreſis graviter judicium variant; ut ſi ex viginti actibus externis hæreſis alicujus tres tantùm manifeſtarentur, hæreticus à tali hæreſi abſolutus non eſſet. Souſa *lib. 3. Aphoriſ. cap. 4.* Palaus, Lupus *ubi ſupra*, & alii. Maſinus *in Arſen. p. 10. aſſert. 159.* hoc idem aſſerit, quandò actus externi eſſent alicujus momenti, ut ſi taceret Calviniſta, ſe adfuiſſe Cœnæ: contempſiſſe Sacramenta, Sacris Immaginibus injuriam feciſſe, quoniam ſe pœni-

pœnitentem non demonſtrat. At, ſi actus externi non expreſſi parvi momenti ſint, abſolutus erit. Sed non militat eadem ratio de actibus parvi momenti, ac de hæreſi ſcienter occultata.

Ad tertium, quamvis excommunicationes connexæ non ſint, tamen Inquiſitoris intentio eſt abſolvendi ſolùm hæreticum verè pœnitentem, & integrè delictum fatentem.

SECTIO XXV.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Hæreticum, qui inquiſitus fuit in S. Officio, ſed quia nec convictus, nec confeſſus, liberatus fuit. Ubi etiam de illo, qui in S. Officio judicialiter depoſuit, ſed non eſt adhuc abſolutus?

VIdetur poſſe. *Primò*. Ille, qui jam in S. Officio conſtitutus fuit, & in negativa perſtitit, non poteſt denuò in S. Officio comparere ad hæreſim propriam detegendam, ſiquidem ſe ſe mendacem, ac perjurum indicaret, negando prius juratus veritatem; Cumque nec Summum Pontificem adire poſſit, dicendum eſt à Confeſſario quocumque abſolvi poſſe.

Secundò. Inquiſitor nullum jus habet abſolvendi ab excommunicatione hæreticum hunc, etenim ampliùs ipſius judicio non ſubeſt, cum jam judicatus fuerit, nec inventum aliquid, per quod condemnari poteſt, unde à Confeſſario quolibet abſolvi poterit.

Tertiò. Loquendo de eo, qui judicialiter in S. Officio depoſuit, & ſi adhuc per Inquiſitorem abſolutus non fuerit, res videtur certior. Nam ille, qui ſuas hæreſes in S. Officio coram Judice, ac Notario depoſuit, Sacro Tribunali Fidei ſatisfecit, fecit totum, quod in ſe erat, pœnitentiæ ſigna ſufficientia dedit; ſi autem abſolutionem non obtinuit, hoc ex defectu ipſius pœnitentis non provenit, ſed vel ex impedimento Inquiſitoris, quia fuit extrà locum, vel quia ejus depoſitio Inquiſitoribus ſupremis adhuc relata non fuit. Nullum igitur impedimentum habet, propter quod abſolvi non poſſit à Confeſſario quolibet.

Reſpondeo. Hæreticus in S. Officio inquiſitus, ac dimiſſus ex eo, quòd confeſſus non fuit, nec convictus à Confeſſario quolibet approbato abſolvi non poteſt. Ratio eſt manifeſta; Nam alii hæretici abſolvi nequeunt ab hæreſi, niſi priùs in foro externo ab excommunicatione abſoluti ſint. Quarè igitur abſolvi poterit iſte, qui cum fuerit negativus, hæreſim non abjuravit, neque ab excommunicatione abſolutionem obtinuit? Num ipſe melioris conditionis,

 ſpeciali

Digitized by Google

ſpeciali privilegio dignus ex eo, quòd inquiſitus fuit in Sacro Tribunali, in carceribus S. Officii detentus, interrogatus negavit? Superiùs inquirentes, an Confeſſar. quilibet hæreticum negativum, convictum, brachioque ſæculari traditum, abſolvere poſſit, reſponſum dedimus, non poſſe, quamvis in articulo mortis eſſet conſtitutus per hoc, quòd ad ſupplicium duceretur; non eſt major ratio in favorem hæretici, de quo præſentem controverſiam movemus. Iſte negando hæreſim, in quam apſus fuit, & ſi juridicè interrogatus, ex impœnitentia minùs dignum aliis ſe reddit beneficio abſolutionis ab excommunicatione; ſicut diximus ſuperiùs loquentes de hæretico negativo convicto, & damnato. Neque poteſt Confeſſarius quilibet abſolvere hæreticum, qui judicialiter depoſuit in S. Officio coram Notario, priuſquam ab Inquiſitore abſolutus ſit, quia ſtante excommunicatione reſervata in Bulla Cœnæ, nullus ab hæreſi abſolvi poteſt; & excommunicatio non tollitur per judicialem depoſitionem coram Judice, & Notario, ſed per abſolutionem, & juridica depoſitio juvat, dumtaxat per modum diſpoſitionis ad abſolutionem; neque circa hoc aliqua eſt difficultas.

Ad primum dicitur, hæreticum in caſu noſtro poſſe mittere Romam ad Summum Pontificem, vel ad Sac. Congreg. S. Officii, ad effectum, ut ejus abſolutionem Confeſſario idoneo in partibus committat, ut de hæretico occulto, qui ab Epiſcopo, vel Inquiſitore abſolutionem obtinere non potuit, dicunt Frejas *ad Acugnam de Confeſſar. ſolicit. qu. 11. num. 12.* Diana *p.p. tr. 5. reſol. 4.* Carena *p. 2. tit. 2. nu. 63.* Serra 2.2. *q. 11. art. 4. dict. 2.* Si autem ſit in caſu neceſſitatis, ſervanda ſunt, quæ dicemus infrà. Poteſt etiam ſpontè comparere in S. Officio coram Inquiſitore, qui eum abſolvet, & ſi verè pœnitens ſit, non debet curare, quòd habeatur pro mendaci.

Ad ſecundum negatur, abſolutionem ab excommunicatione in caſu, de quo loquimur, non pertinere ad Inquiſitorem; hæreſis enim externa eſt, nec obſtat, quòd non potuerit probari, ſiquidem hæreſis externa occulta per accidens in judicio probari nequit; & tamen ejus abſolutio Summo Pontifici, atque Inquiſitoribus reſervata eſt.

Ad tertium reſponſio patet ex dictis, nimirùm illum, qui judicialiter depoſuit, feciſſe totum, quod in ſe erat ad diſponendum ſe ad abſolutionem, ſed adhuc abſolutum non eſſe ab excommunicatione.

DI-

DISCEPTATIO II.

Quid poſſint Epiſcopi, Inquiſitores, ac Superiores Regularium, quantùm ad Sacramentalem Abſolutionem ab hæreſi, extrà neceſſitatis articulum?

Confeſſarios inferiores, ſimplicesque carere facultate, & jurisdictione abſolvendi ab excommunicatione in hæreticos lata extrà neceſſitatis articulum, precedenti diſputatione ſtabilitum fuit. Nunc Superiorum facultas in eadem materia libranda eſt, ac ponderanda.

SECTIO I.

An Epiſcopus, Sacramentali in foro, abſolvere poſſit ab excommunicatione in hæreticos lata.

Videtur Bannez 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Souſæ *in Bulla cap.* 24 *diſput.* 100. *concluſ.* 3. *num.* 7. Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 14. *num.* 17. Fagundez *de præcept. Eccleſ. præcept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 52. aliiſq. pluribus, poſſe. *Primò.* Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* habet. *Licèt Epiſcopis in quibuſcumq; cauſis occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumq; ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ, eis tamen, non eorum Vicariis, ſit permiſſum.* Si dicas, facultatem hanc ſublatam eſſe per Bullam Cœnæ. In contrarium eſt, quia Bulla Cœnæ ſolùm habet. *Ut nullus poſſit abſolvi prætextu quorumcumq; privilegiorum, quæ Epiſcopis, Conventibus, & aliis conceſſa ſunt per Sedem Apoſtolicam.* Epiſcopus autem abſolvere poteſt ab hæreſi in vi auctoritatis à Chriſto Domino ſibi conceſſæ, & non prætendit facultatem hanc prætextu alicujus privilegii à Sede Apoſtolica ſibi conceſſi.

Secundò. Lex ſpecialis non abrogatur per generalem, niſi de ipſa ſpecialis mentio fiat. Domin. *Cap. Licet, de Conſtit. in* 6 *num.* 5. Paſſerin. *eod. Cap. q. unic. art.* 7. *num.* 120. Fagnan. *Cap. Cœterum num.* 80.

Digitized by Google

de reſcript. & *Cap. Cum eſſes num.* 88. & 110. *de teſtam.* Palaus *tract.* 3. *diſp.* 5. *punct.* 2. *num.* 11. quia in jure lex generalis, & particularis non ſunt contrariæ. Sed lex, quia datur Epiſcopis in Tridenti facultas abſolvendi ab occulta hæreſi, particularis eſt, verba autem Bullæ Cœnæ generalia ſunt, nec de Concilio Tridentino mentionem faciunt. Propterea aſſerendum, illæſam manere Epiſcoporum facultatem à Synodo Tridentina ipſis conceſſam.

Tertiò. Privilegium à Sancta Synodo prædicta Epiſcopis conceſſum certum eſt; & non eſt evidens, Bullam Cœnæ præfatam conceſſionem revocare. Igitur Epiſcopi removendi non ſunt à ſua poſſeſſione obtenta ex vi Tridentini.

Reſpondeo. Epiſcopi in foro judiciali, cum hæreticos pœnitentes recipiunt, ipſos ab excommunicatione abſolvere poſſunt; non tamen in foro conſcientiæ, etiamſi hæreſis externa occulta ſit. Ricciull. *de jurit. perſon. cap.* 14. *à num.* 13. Sylvius 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. Serra *ibid. art.* 4. quamvis probabilem habeat etiam ſententiam oppoſitam. Barboſa *de offic. Epiſcopi part.* 2. *allegat.* 40. *à nu.* 21. Farinac. *de hæreſi q.* 192. Souſa *lib.* 3. *Aphoriſ. cap.* 4. *num.* 5. & alii, quos longa ſerie refert Delbene *dubit.* 55. *num.* 16. Plura in veritatis hujus confirmationem à Scriptoribus congeruntur, at unum, vel aliud dumtaxat adducam, cum res iſta modo certa ſit, per ea, quæ ultimo loco referam. Attendenda prius ſunt verba ſequentia Bullæ Cœnæ. *Cæterum à prædictis ſententiis, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, neq. etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poteſt, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuſcumq; perſonis Eccleſiaſticis, Secularium, & quotumcumq. Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium, Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori Dignitate præditis, ipſiſq; Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, ac Locis Piis, nec à Laicis, etiam imperiali, regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii Decreta, Verbo, Litteris, aut alia quacunq; Scriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.* Per verba iſta Concilio Tridentino, in particulari facultatis conceſſæ Epiſcopis abſolvendi ab hæreſi occulta, derogatum fuiſſe, mihi certum eſt, quoniam neceſſarium non eſt ſpecialem fieri mentionem legis Conciliaris prioris, ad hoc, ut per Pontificiam poſteriorem ipſi derogetur, prout latè, & concludenter probant D. Fagnan. *in Cap. Nonnulli à num.* 29. *de Reſcript.* Paſſeri n. *in Cap. Licet, quæſt. unic. art.* 11. *de Conſtit.* aliiq; apud ipſos; præſertim hoc verum eſt de Concil. Trident. ſiquidem Pius V. per

motum

Digitized by Google

motum proprium, *Cum plerumq;* relatum à Paſſerino *art.* 12. declaravit, ac decrevit, quòd ubi ſupplicatio manu Summi Pontificis ſignata ſit, ad derogandum Concilio Tridentino, nedùm ſpecialis, ſed nec generalis derogatio expoſcatur; quamobrem Summi Pontifices, quando Concilio Tridentino derogare non intendunt, clauſulam apponunt: *Dummodò Concilio Tridentino non adverſentur*. Cùm igitur in Bulla Cœnæ facultates omnes ex vi cujuſcunq; Concilii conceſſæ revocentur, facultaſq; abſolvendi ab hæreſi occulta per Tridentinam Synodum ſolummodò data Epiſcopis fuerit, quando mentio aliqua ejuſdem expoſceretur, adhuc ſufficienter facta fuiſſet. Tridentino revera per Bullam Cœnæ derogatum fuiſſe, Sac. Congregatio per verba, quæ nunc ſubdo, declaravit, ac decrevit. *Congregatio cenſuit, huic Decreto Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform. non tantùm in crimine hæreſis, ſed in omnibus caſibus comprehenſis in Bulla Cœnæ Domini Pii V. eſſe derogatum.* Per aliud Decretum: *Epiſcopus, aut Inquiſitor abſolvere non poteſt Hominem hæreticum in foro conſcientiæ, licèt hæc facultas à Concilio ſit tradita Epiſcopis.* Rursùs. *Item, an hoc decretum locum habeat in caſibus poſt Concilium Tridentinum, ex nova lege Sedi Apoſtolicæ reſervatis, Gregorius XIII. audita relatione Congregationis, non habere locum reſpondit.* Inquis cum Hurtado *diſp.* 84. *ſect.* 2. Bullam Cœnæ non continere caſus reſervatos ex nova lege poſt Tridentinum, ſiquidem ante illud, ſingulis annis, cum eiſdem clauſulis Bulla Cœnæ divulgabatur. Sed gratis hoc dicis. Nam Pontifices prædeceſſores Pii IV. non appoſuerant in dicta Bulla verba illa, *Ac cujuſvis Concilii Decreta*, aut Concilii alicujus mentionem fecerunt, ut videri poteſt in Bulla Cœnæ à Martino V. promulgata, apud S. Antoninum 3. *part. tit.* 24. *cap.* 72. necnon evulgata à Paulo III. quæ habetur in Bullario, eſtq; 10. inter Conſtitutiones hujus Pontificis. Accedit Decretum Clem. VIII. emanatum *ſub die* 9. *Januarii* 1602. ac firmatum à Paulo V. *die* 7. *Januarii* 1617. per quod revocantur omnes facultates abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ, & loquendo de Ordinariis habet. *Probibet etiam, ne ſibi ſuperfluè reſervent caſus in Bulla Cœnæ Domini legi conſueta contentos, neq; alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatos.* Sed, ut ab initio dicebamus, res iſta modo certa eſt, quoniam inter propoſitiones juſſu fel. record. Alex. VII. diſcuſſas, atq. ab ipſo damnatas, reperitur ſequens, tertia in ordine. *Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sac. Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.*

Ad primum optima eſt reſponſio ibi data, nec inſtantia habet vim; reſpon-

Digitized by Google

reſponſiones enim, & declarationes Sac. Congregationis Concilii indicant, Epiſcopos non habere poſt Tridentinum facultatem abſolvendi ab hæreſi, nec in vi privilegii alicujus ab Apoſtolicâ Sede conceſſi; neq; à Chriſto Domino traditam. Certè non apparet, qualiter Epiſcopi facultatem hanc à Chriſto obtinuerint, & cur Summus Pontifex eam ſibi reſervare non poſſit.

Ad ſecundum diximus, legi Conciliari priori per legem, Conſtitutionemq; Pontificiam poſteriorem derogari, abſq. eo, quòd ſpecialis mentio aliqua de illa fiat; etenim Conciliares leges vim, efficaciamq; legum non obtinent, niſi inquantum per Summum Pontificem approbatæ, ac confirmatæ ſunt, cum ipſe ſit ſolus, unicuſq; orbis totius Paſtor, ac Concilia ab ipſo auctoritate gaudeant, *Cap. Significaſti, de elect.* & per totam *diſt.* 37. Et quia Pontifex legem condens, id non facit, niſi ſcienter, benèq. conſideratâ contrarietate ſuæ novæ legis ad priorem, quia præſumitur, ipſum habere omnia jura in ſcrinio pectoris. *Cap. Ut animarum, de Conſtit. in* 6. dum ſcienter fert legem contrariam legi Conciliari, vult hanc ceſſare, ipſiq; derogare, quamvis de illa nullam mentionem haberet. Ulteriùs diximus, ſufficientem fieri mentionem Concilii Tridentini per voces illas Bullæ Cœnæ inſertas, *Ac cujuſvis Concilii Decreta.*

Ad tertium; Ex adductis in aſſerti noſtri comprobationem ſatis compertum eſt, evidens eſſe, per Bullam Cœnæ eſſe Tridentino derogatum, quantùm ad particulare, de quo loquimur.

SECTIO II.

An Inquiſitores in foro Sacramenti pœnitentiæ ab excommunicatione in hæreticos lata abſolvere poſſint?

Videtur Gutierez *lib. p. quæſt. Canonic. cap.* 13. *num.* 7. Bannes 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Souſæ *lib.* 3. *Aphoriſ. cap.* 4. *num.* 11. aliiſq; pluribus relatis à Palao, *tract.* 4. *diſput.* 4. *punct.* 3. poſſe. *Primò.* In Conſtitutione Clem. VII. *Cum ſicut*, ſequentia habentur. *Vobis etiam, ac Vicariis præfatis extrajudicialiter Luteranos occultos, & non inquiſitos per Ordinarium, ſive alios Judices, aut alios quoſcunq; hæreticos &c. abſolvendi, illiſq; pro præmiſſis pœnitentiam injungendi facultatem, eoſq; ad gremium S. Matris Eccleſiæ reſtituendi, & reducendi, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium litterarum licentiam, ac facultatem concedimus.* Sed Summus Pontifex non loquitur de abſolutione in foro externo, ſiquidem dicitur, *extrajudicialiter*. Igitur de abſolutione in foro Sacramentali, & Pœnitentiali intelligi debet.

Secun-

Digitized by Google

Secundò. Nimis rigidum eſſet, hæreticum omnem occultum obligare ad comparendum coram Inquiſitore in judicio, & coram Notario, teſtibuſq; pro abſolutione obtinenda: Eccleſia autem remedia facilia, atq; ſuavia aſſignare ſolet.

Tertiò. Facultas abſolvendi ab hæreſi in foro conſcientiæ, in favorem animarum, ſaltem indirectè, conceditur; & principaliter in favorem Officii Inquiſitorum, nimirum defendendi Fidem: ideòq; non eſt, cur per Bullam Cœnæ Domini revocata cenſeatur.

Reſpondeo. Inquiſitores ab excommunicatione propter hæreſim contracta abſolvere nequeunt in foro Pœnitentiali, & Sacramentali, ſed ſolùm judiciali, coram Notario, ac Teſtibus, cognita cauſa. Trullench. *lib. p. cap.* 3. *dub.* 5. Palaus *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. *num.* 3. Garzias *de benef. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 121. Farinac. *de hæreſi q.* 192. *num.* 54. & quamplures alii. Pauca ſequentia in veritatis hujus confirmationem produco. Conſtitutio aliqua concedens Inquiſitoribus facultatem hanc, non apparet, ut docet etiam Serra, 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dub. unic.* quamvis aſſertionem noſtram non firmet, ſed dicat, ſtandum eſſe conſuetudini, & praxi S. Officii, & Inquiſitorum. Et Conſtitutio Clem. VII. ſuper qua Adverſarii fundant ſe, eſt de abſolutione in foro judiciali dumtaxat, quoniam ibi dicitur. *Poſtquam hæreſim, qua polluti, & infecti erant, abjuraverint, medio juramento promiſerint de cætero ab hujuſmodi hæreſi penitùs abſtinere*: Abjuratio autem, & juramentum ad forum judiciale, juxtà praxim S. Officii, ſpectant. Nec verbum illud, *extrajudicialiter*, officit; quandoquidem formam judicii non tollit, nec Notarium, teſteſvè excludit, ſed dumtaxat publicam ſolemnitatem; prout in ſolutione ad primum magis explicabitur. Sed demus, Inquiſitores ex dicta Conſtitutione facultatem obtinuiſſe abſolvendi ab hæreſi, & excommunicatione in foro conſcientiæ; Nonnè per Bullam Cœnæ cenſenda eſt ſublata; nuncq; nullius roboris? Sacra Concilii Congregatio in favorem aſſertionis noſtræ per hæc verba decrevit. *Epiſcopus, aut Inquiſitor abſolvere non poteſt hominem hæreticum in foro conſcientiæ, licèt hæc facultas à Concilio ſit tradita Epiſcopis*. Major ratio militare videtur in favorem Epiſcoporum, quàm Inquiſitorum, quantum ad abſolutionem ab hæreſi in foro conſcientiæ, cum illi ſint Paſtores ovium, animarum curam habentes, ad paſcendas oves deſtinati; Iſti verò Judices ſint tantùm in foro externo; ut optimè Eymeric. 3. *part. Direct. num.* 59. Cum ergo Sacri Antiſtites facultate careant abſolvendi ab excommunicatione in hæreticos lata in foro cōſcientiæ, perindèq; idem de Inquiſitoribus aſſerendum erit. Inſpiciamus finem, propter quem Pontifices Summi excommunicationem hæreſi annexam ſibi reſervarunt, & magis innoteſcet, quod docemus. Certè alius non

Digitized by Google

eſt, quàm arcere homines à tàm gravi, ac enormi delicto, quale eſt hæreſis, difficultate abſolutionis obtinendæ; qua ratione plures caſus Eccleſia ſibi reſervat. Majori cum licentia, libertateq; homines laxioris conſcientię vitia prolabuntur in illa, quorum abſolutio ipſis difficilis non eſt. Finem ad hunc ſatis conducit, quòd Inquiſitores in foro Sacramentali abſolvere nequeant, ſed tantùm in judiciali; magis namq; homines hæreſim abhorrent, magiſq; deterrentur, dum ſciunt, & recordantur, ſe abſolvi non poſſe, niſi in Tribunali S. Officii ad præſentiam Notarii, ac teſtium compareant. Item expediens non eſt, Inquiſitorem hujuſmodi facultate gaudere; ſiquidem non expedit ipſum aliquem Sacramentaliter audire, & abſolvere, nec hęreticum in confeſſione audire debet, ut admonent Campeg. *ad Zanchin. cap. 34. verſ. Conſiderent etiam Inquiſitores*. Locat. *in Judic. Inquiſit. ver. Abſolvere nu 7.* Pegn. 3. *part. Direct. com.* 12. *circa finem*; & rationem aſſignat Eymeric. 3. *part. num.* 59. *verſic. Nam, ſi Inquiſitor*. Mitto, quòd Inquiſitor ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem promotus, ex vi Officii Inquiſitoris præcisè haberet majorem facultatem, quàm Inquiſitor non Sacerdos.

Ad primum nonnulli reſpondent, privilegium illud non fuiſſe perpetuum, at temporale, & perſonale, utpotè conceſſum Paulo Butcigellæ Vicario Generali Ord. Prædicat. poſt cujus obitum ceſſavit, nec ad ſucceſſores tranſiit. Dicunt alii Inquiſitoribus omnibus non fuiſſe conceſſum, ſed ſolùm Quæſitoribus Fidei Ordin. Prædicat. Provinciæ Lombardiæ, & pro tunc temporis exiſtentibus. Verùm, extravagantem illam ſe extendere ad omnes, Inquiſitores, & tempus quodlibet, Deo dante, alibi oſtendetur. Propterea dicendum, facultatem Inquiſitoribus per Conſtit. illam conceſſam eſſe pro abſolutione in foro externo, judicialiq; Nihil aliud intendit Summus Pontifex in dicta Extravag. *Cum ſicut*, quàm concedere Inquiſitoribus facultatem admittendi ad ſecretam abjurationem, pœnitentiamq; hæreticos pœnitentes, ac ſponte comparentes; ſecretaq; abjuratio iſta nuſquam fit in Sacramento Pœnitentiæ, ſed in judicio coram Notario, & teſtibus, imò. *Si hæretici volunt detegere tantùm in foro Pœnitentiali per modum confeſſionis Sacramentalis, Inquiſitor non admittat, nec confeſſiones eorum audiat; non enim Inquiſitores, ut Inquiſitores, ſunt Judices in foro Pœnitentiæ, & interiori, ſed judiciali, & exteriori*. Eymeric. *dicto num.* 59.

Ad ſecundum, rigor aliquis, ad arcendos, deterrendoſq; homines à commiſſione enormis, & graviſſimi criminis hęreſis, deſideratur. Nihilominus ſatis rigor iſte temperatur ex eo, quod abſolutio, etſi fiat judiciali in foro, ſecreta eſt, ſicq; abſolutus de tali delicto rurſus judicari, ac puniri non poſſet caſu, quo præter ipſius culpam, hæreſis publica fieret, ſicut advertit Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap.* 34. quòd be-

be-

neficium non haberet ille, qui ſolo conſcientiæ in foro abſolutus eſſet; quia talis abſolutio eſſet tantùm in foro conſcientię, non externo, Eymeric. *ubi ſuprà*. Pegna *part. 2. direct. verſic. Quòd autem abſoluti*, ubi adducit Conſtit. quandam Gregorii XIII. anni 1572. tertio Idus Septemb.

Ad tertium ex illis, quæ tradidimus, ſufficienter innoteſcit, neq favorem animarum, nec Officium Inquiſitionis petere, ut Inquiſitor habeat facultatem præfatam; cum favor animarum potius petat, ut cum difficultate abſolutio ab hæreſi obtineatur, & Inquiſitoris Officium poſitum ſit in punitione, & abſolutione in foro exteriori.

SECTIO III.

An Prælati, & Superiores Regularium exemptorum abſolvere poſſint ſuos ſubditos, in foro conſcientiæ, ab excommunicatione in hæreticos lata.

VIdetur Rodriq *tom. p. quæſt. Regular. q. 61. art.* 9. Henriq. *lib. 6. cap.* 16. §. 8. Barboſæ *de poteſt. Epiſc. part. 2. allegat.* 40. *nu.* 10. aliiſq; pluribus poſſe. *Primò*. Pius V. in quodam motu proprio directo Prioribus Dominicanis, de quo Rodriq. *ubi ſuprà*, inquit. *Quia Sacrum Æcumenicum Concilium Generale Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere poſſint in foro animæ, ſeù conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſer.* 24. *cap.* 6. habetur, *ne Prior, & Provincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis, tàm in dicta Provincia, quàm extra illam, ubilibet, in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, vel Sæculares exiſtant, eiſdem Priori Conventuali, & Superioribus Prælatis, ut ipſi per ſeipſos omninò poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quo ad abſolvendi, & diſpenſandi hujuſmodi, quàm alias quaſcunq; facultates eiſdem authoritate, tenore, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, atq; etiam declaramus præſentes litteras perpetuò durare, ac valere.* Cum Prælatis Regularibus per hunc motum proprium concedatur id, quod à Tridentino Epiſcopis conceſſum fuit, certum eſt, eiſdem concedi facultatem abſolvendi ab hæreſi. Et quamvis facultas Epiſcoporum per Bullam Cœnę revocata ſit, tamen conceſſa Regularibus revocata non cenſetur. Megal. *part. p. lib. p. cap.* 13. *num.* 10.

Secundò. Per Bullam Cœnę privilegiis Regularium derogatum non eſt, fruſtrà enim renovarentur, ut ab unoquoq; Pontifice fieri ſolet, ſi in die Cœnæ per eoſdem Pontifices forent deroganda. Neq; in Bulla Cœnæ abſolutio ratione privilegiorum prohibetur, at prætextu privilegio-

Digitized by Google

rum, prætextus autem non excludit, & revocat illud, quod legitimâ poteſtate interveniente fit, ſed illud, quod ſub velamine aliquo exercetur.

Tertiò: Summus Pontifex Gregorius XIII anno 1564. die 18. Martii conceſſit Societati Jeſu, ut conceſſiones illi factę per Bullam Cœnę revocatæ non cenſeantur, prout habetur *in Compend. Privileg. ejuſdem Societ. v. Bulla Cœnæ* ſ. 2. Et ſecluſo privilegio Pii V. Patres Societ. aſſerunt ipſorum Generales, ac Provinciales, ex privilegio Gregorii XIII. ab hæreſi occulta ſubditos ſuos abſolvere poſſe, ut *in eodem Compend. ibidem*, ſ. 7. & 8. Suarez, *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 17. quæ facultas poteſt à Provinciali ſubdelegari in caſibus ſpecialibus, non generaliter, niſi à Generali ampliorem facultatem obtinuerit. Palaus *diſp.* 4. *tract.* 4. *punct.* 3. §. 3. ſcribit, Generalem Societatis habuiſſe à Julio III. vivæ vocis oraculo facultatem abſolvendi ab hæreſi in foro conſcientiæ, deinde per Breve; confirmavit verò denuò, conceſſitq; Gregorius XIII. die 18. Martii 1584. vivæ vocis oraculo. Itaq; concludendum, etiam his temporibus, Superiores Regularium ab hæreſi occulta, ſaltem ſubditos ſuos abſolvere poſſe in foro conſcientię.

Reſpondeo. Prælati, Superioreſq; Regularium ſuos ſubditos in foro conſcientiæ ab excommunicatione in hæreticos lata, etiamſi hæreſis occulta ſit, abſolvere nequeunt. Paſſerin. *de elect. Can. cap.* 26. Alter. *tom. p. lib.* 5. *diſp.* 22. *cap.* 3. Duardus *lib.* 3. §. 2. *num.* 16. Brancat. *de pœnit. diſp.* 19. Tambur. *de jur.* Abbat. *tom.* 2. *diſp.* 14. *quæſt.* 15. & 17. Megala *conſ.* 21. *num.* 6. Navar. *in ſingular. concluſ.* 3. *num.* 10. Diana *part. p. tract.* 5. *reſol.* 6. ut alios mittam. Sic diſcurrimus in aſſertionis noſtræ probationem. Quamvis Religionibus per dictum motum proprium Pii V. vel privilegium aliud conceſſa fuiſſet facultas abſolvendi ab hæreſi, tamen conceſſio Pii V. fundabatur in hoc, quòd Tridentinum eandem facultatem Epiſcopis conceſſerat. Modò autem pro Epiſcopis ſublata eſt, ut oſtendimus; quapropter etiam facultas eadem Prælatis Regularium, ſi quę fuit conceſſa, revocata erit. Pius V. in privilegio illo non vult, Prælatos Regularium in hac parte majorem habere juriſdictionem, quàm Epiſcopos, ſed tantùm, quòd non ſint pejoris conditionis. Suarez *de Relig. tom. p. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 10. Delbene *dubit.* 58. *num.* 3. ubi reiicit Megal. *in p. part. lib. p. cap.* 13. *num.* 10. aſſerentem, poſſe Prælatos Regularium uti dicto Privilegio Pii V. non obſtante, quòd facultas conceſſa Epiſcopis per Bullam Cœnæ revocata fuerit. Sed refelli poteſt etiam ex verbis Bullæ Cœnæ, ibi. *Etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcumq; perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularium, & quorumcunq; Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis*,

ditis, ipſiſq; Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, ac Domibus, Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus; &c. Attendendum inſuper Decretum Sac. Congregationis, juſſu Clem. VIII. emanatum 9. *Januar.* 1601. ſequentis tenoris. *Sac. Congregatio S. R. E. Card. negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, juſtis, & gravibus cauſis id exigentibus, ac de Sanct. D. N. Clem. Pp. VIII. ſpeciali mandato, vivæ vocis oraculo deſuper habito, Sacerdotibus omnibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, per univerſam Italiam extrà Urbem degentibus ad confeſſiones audiendas probatis, quorumcumq; Ordinum, etiam Mendicantium, Militarium, aut Congregationum, etiam Societatis Jeſu, & generaliter quarumcumq; aliarum, quovis nomine nuncupentur, jubet, & præcipit, ne quis eorum ſub prætextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè, ſcripto, aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apoſtolica, vel ejus auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus Sæcularium &c. ab ullo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita, contentis &c. abſolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præſumat.* Videatur decretum iſtud, in quo etiam pœnæ ſtatuuntur in contravenientes, & confirmatum fuit per Paulum V. 7. *Jan.* 1617. Finis etiam, ob quem Summo Pontifici hæreſis reſervata eſt, habet locum etiam in præſenti, ſiquidem, ſtante hac reſervatione, Regulares magis abhorent tantum crimen, faciliùſq; in ipſum prolaberentur, ſi facultas abſolvendi ab eodem in Religione apud Superiores inveniretur; ſicuti non tàm facilè ſubditi Regulares in crimina illa dilabuntur, quæ Superioribus reſervantur, & à quibus Confeſſarii omnes Religionis abſolvere non valent. Scio, Peyrin. *tom.* 3. *in addit. ad Bullam Sixti* 4. *num.* 38. ex Molfeſ. aliiſq; interpretari dicta decreta, ut locum habeant reſpectu perſonarum ſæcularium ſolummodò, itaut Regularibus prohibitum ſit ab hæreſi Sæculares abſolvere; non tamen Regulares ſubditos, quoniam in dubio ſemper judicandum eſt, quod privilegium revocatum non ſit. Cœterùm non eſt tuta doctrina iſta, & Sac. Congregatio ſub Urbano VIII. 17. *Novemb.* 1628. reſpectu caſuum Bullæ Cœnæ expreſsè declaravit, privilegia Regularium eſſe revocata per annuam Bullæ Cœnę publicationem; quæ Bulla tantum tollit, quantum ipſa loquitur, & univerſaliſſimè loquitur; prohibetq; ut nullus, ſivè Sęcularis, ſivè Regularis abſolvi poſſit ſub prætextu cujuſcumq; facultatis Regularibus conceſſę à caſibus in ea contentis. Quare, nec Regulares à caſibus in Bulla Cœnæ contentis abſolvi poſſunt; Et in Religione Ord. Prędicat. doctrina hæc praxi demandatur; atq; ab omnibus ſuſtineri debet, quantum ad abſolutionem ſæcularium, ſiquidem inter propoſitiones juſſu Alexandri VII. ut ſuprà dam-

Digitized by Google

damnatas, ſequens continetur, quarta in ordine. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunq; Seculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

Ad argumenta patet reſponſio ex dictis, ſolùm addo unum, vel aliud. Primum, poſt conceſſiones factas à Julio III. Pio V. ac Gregorio XIII. emanaſſe ſupradicta Decreta in contrarium, per quæ dictis Conſtitutionibus, ſeù conceſſionibus derogatum fuit, & in moderatione Decreti Clem. VIII. Sac. Congr. habet. *Cæterùm, ne quis Sacerdotum Sæcul. aut Regul. ſub prætextu, quòd per prædict. Decret. non fuerit ſpecialiter eorum ſpecialibus privilegiis derogatum, eidem decreto, ſic, ut præfertur, declarato, contravenire audeat, Sanctitas Sua Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtol. omnibus, in favorem quorumcumque Ordinum, ſeù Inſtitutorum Regularium, aut Sacerdotum tàm Sæcularium, quàm Regularium editis &c. ſpecialiter, & expreſsè derogat.* Alterum eſt, quòd Bulla Cœnæ omni anno revocat privilegia Regularium, & quantùm ad hanc partem nulla privilegia fuerunt ita confirmata, ut revixerint contra Bullam Cœnæ, eo magis, quòd per decreta præfata Sac. Cong. ſtatuit, ut non reviviſcant, quantùm ad hanc partem. Paſſerin. *loc cit.* Undè quandò confirmantur per Pontifices, confirmatio cadit ſuper aliis privilegiis, non verò ſuper hoc ſpectans ad abſolutionem ab hæreſi, & aliis caſibus Bullę Cœnæ. Poſtremùm dicimus, ſupradicta intelligenda eſſe etiam de hæreſi occulta; quoniam expreſsè de hæreſi occulta loquebatur propoſitio damnata, & talem facultatem non habet Epiſcopus.

DISCEPTATIO III.

De Confeſſariorum poteſtate, quoad abſolutionem ab hæreſi, ex vi Jubilei, nec non Bullæ Cruciatæ.

Confeſſarios tùm ſimplices, tùm Superiores extrà neceſſitatis caſum, facultate abſolvendi ab hæreſi, excommunicationeque propter eam incurſa, carere per duas præcedentes Diſceptationes notum fecimus. Inquirendum reſtat: Num, ſaltem Jubilæi tempore, Bullævè Cruciatæ virtute, ab eadem abſolvere queant.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO I.

An Confeſſarius quilibet approbatus ex vi Jubilæi, ab excommunicatione in Hæreticos lata abſolvere poſſit?

VIdetur, quòd ſic, Soto *in 4. diſt. 22. qu. 2. artic. 3. concluſ. 7.* Pegnæ *2. part. Direct. com. 25. verſic. Quòd ſi quis quærat*, Peyrin. *de Privileg. Minim. tom. p. Conſtit. 4. Sixti IV. §. 5. num. 20.* Zerulæ *tract. de Jubilæo lib. 2. cap. 18. qu. 3.* quod probabiliter tenet etiam Serra 2. 2. *qu.* 11. *art. 4. dub. unic. dict. 3.* aliiſque pluribus. *Primò*. Fuit maxima controverſia olim inter Doctores, an quandò Pontifex concedit Jubilęum cum facultate abſolvendi ab omnibus reſervatis in Bulla Cœnę abſque exceptionis hęreſis expreſſione, Confeſſarius quilibet ab hęreſi abſolvere poſſit; quibuſdam affirmantibus, negantibus aliis; quam litem, ut Summus Pontifex ſedaret, in Jubilęis ſemper hęreſis crimen excipit. Quam ob rem, ſi modò, cùm ſibi de controverſia hac conſtat, generaliter poteſtatem abſolvendi, nulla exceptione facta concederet, ipſius animus eſſet facultatem abſolvendi, etiam ab hęreſi, elargiri, ex induſtria ſolitam exceptionem auferenda.

Secundò. Jubilęi finis eſt, ut omnes ipſum conſequantur, animarum favorem inſpicit, & quamvis in odioſis generali ſub clauſula ea non veniant, quę ſpecialem habent rationem, tamen in favorabilibus veniunt. Undè quamvis hęreſis, ob ſuam peculiarem gravitatem, ſpecialem conceſſionem expoſceret, adhuc in caſu noſtro, cùm ſimus in favorabilibus, ipſa comprehenditur ſub caſibus in Bulla Cœnę, & ita à Sac. Pœnitentiaria reſponſum fuiſſe, hancq; eſſe praxim, aſſerit Filiuc. *tom. p. tract. 8. cap. 10. num.* 265.

Tertiò. Etiamſi extaret Conſtitutio Apoſtolica declarans, hęreſis caſum non concedi; niſi expreſſa mentio illius fiat, adhuc ejuſmodi Conſtitutioni forma Jubilęi derogaret; quoniam apponi ſolent derogatorię ſequentes. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim, quibus facultas abſolvendi in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles Jubilæi, Indulgentiarum, ac facultatum bujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queat*. Igitur Confeſſarius quilibet Jubilęi tempore abſolvere poteſt ab hęreſi.

Reſpondeo. Virtute Jubilęi Confeſſarii ab hęreſi abſolvere nequeunt, etiamſi per ipſum abſolvendi à reſervatis in Bulla Cœnę facultas concederetur. Royas *de hæret. p. 2. num.* 321. *& de Privileg. Inquiſit.*

*quiſit. num.*416. Aragon. 2.2. *qu.*11. *art.*3. *§.Sed dubium eſt*. Barboſ.*p.*2. *de poteſt. Epiſc. allegat.*40. *num.*31. Palaus *tr.*4. *diſp.*4. *punct.*3. §.4. *num.*2. Ricciull. *de jure perſon. lib.*5. *cap.*14. *num.*7. aliique innumeri, quos referunt, ac ſequuntur Diana *p.p. tr.*5. *reſol.*1. & Delbene *dubit.*59. In aſſerti hujus gratiam ſequentem formo diſcurſum. Vel in Jubilęo expreſsè excipitur facultas abſolvendi ab hęreſi, prout factum eſt in Jubilęis per Pontifices poſteriores emanatis, & tunc certum eſt, Confeſſarios ab hæreſi abſolvere non poſſe, quamvis occulta, quia cum exceptio abſoluta ſit, omnem facultatem tollit, etiam circa hæreticum occultum, cum & occulta vera hæreſis ſit: Undè, quandò Scriptores diſtinguere voluerunt de publica, & occulta hæreſi in materia ſubjecta, Sac. Congreg. priùs, deinceps Summus Pontifex decrevit, ſub hæreſis nomine venire etiam occultam, & Epiſcopum, ac Regulares, nedùm à publica, verùm neque ab occulta hæreſi abſolvere poſſe. Quandò Summi Pontif. ſolam publicam ſibi reſervare intendunt, in Jubilęis clauſulis quibuſdam ſuam intentionem exprimentibus utuntur, ſicuti fuit in Jubilæo 1621. in quo poſtquam Greg. XV. conceſſit poteſtatem abſolvendi ab omnibus caſibus Epiſcopis, Sediq; Apoſt. etiam in Bulla Cœnæ reſervatis, addidit, conceſſionem ſuam non ſuffragari hæreticis, Schiſmaticiſvè ſpecialiter declaratis, ſeù condemnatis. Si verba hæc, aut ſimilia in litteris Jubilæi ponerentur, tunc Jubilęum hęreticis, Schiſmaticiſque non ſpecialiter declaratis, vel condemnatis, quales ſunt occulti, ſuffragaretur. Silv.2.2.*q.*11.*a.*3. Boſs *de Jubil. ſect.* 1. *caſ.*9. & alii, exceptio ſiquidem regulam firmat in non exceptis. Vel in Jubilæo non excipitur expreſsè hæreſis, & abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnę reſervatis facultas conceditur; tuncq; controverſia majorem difficultatem habet, cum ſub generali facultate abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis comprehendi etiam facultas abſolvendi ab hæreſi videatur. Nihilominùs dicimus contra *Scriptores* à principio Sectionis relatos ex vi Jubilæi ſub hac forma conceſſi, Confeſſarios carere facultate abſolvendi ab hæreſi tùm publica, tùm occulta. Facultas, quamvis favorabilis, juxtà ſtylum, uſumq; Romanæ Curię extendi debet, qui parte in hac vim habet legis. Mandoſ. *in Praxi Signat. grat. verb. Abſolutio ab hæreſi*, aliiq; ſcribunt, attento dicto uſu, ſtyloque generali ſub conceſſione Jubilæi, facultatem abſolvendi ab hęreſi non concedi. Suffragatur *Cap. Frater noſter* 16. *q.p.* ubi generalis commiſſio facta Legato per Summum Pontif. non extenditur ad cauſas Fidei, quę ſpecialiter Inquiſitoribus ſunt commiſſæ. *Cap. Si Epiſc. de pœnit. & remiſs. in* 6. In conceſſione generali intelligenda non veniunt ea, quæ Princeps conceſſurus non eſſet, ſi ſpecialiter proponerentur. *Cap. In generali de Reg. jur. in* 6. talis autem eſt abſolutio hæreſis, ut colligi poteſt

teſt

Digitized by Google

teſt ex *Conſtit.* 37. Gregorii XIII. adducenda *ſect. ſeq.* ex qua habetur, Summorum Pontific. mentem eſſe non concedendi facultatem abſolvendi ab hæreſi, niſi hęc ſpecialiter exprimatur. Non eſt probabile, ut notat Barboſ. *d. nu.* 31. Pontifices Maximos tot legibus in Fidei favorem ſatis ità facilè derogare voluiſſe. Quamvis ex parte favorabilis videatur facultas iſta abſolvendi ab hęreſi, tamen abſolutè, ac ſimpliciter talis non eſt, ſed favor animarum expoſcit, ne concedatur, quoniam magis abhorrent homines hęreſim ex hoc, quod percipiunt haberi pro tàm gravi, & enormi, ut nec Jubilęi tempore Eccleſia concedere velit facultatem abſolvendi ab illa. Plura habes apud Covaruv. *in c. Alma Mater p.p. §.* 11. *nu.* 5. Nonnulli ſentiunt, quòd ſi modò in Jubilęo concederentur caſus Bullę Cœnę, non addita hęreſis exceptione, nec clauſulis derogatoriis ſpecialibus ex conjecturis, quę circa Jubilęum eſſe poſſunt, judicandum eſſet. Exemp. gr. ſi prçceſſiſſet inſtans petitio alicujus apud Pontificem, ut exceptio illa auferretur, vel ſi conſtaret ex mandato, & ſcientia Pontificis ablatam eſſe, tunc prçſumptiò eſſe poſſet, Pontificem talem exceptionem auferre velle, facultatemq; abſolvendi ab hęreſi concedere. Si verò nihil tale prçceſſiſſet, prçſumptio eſſet, quòd per errorem Scriptoris, Secretarii, aut Typographi illa clauſula omiſſa eſſet. Mutatio ſtyli adeò pertinaciter per tot annos retenti, poſtquam clauſula illa ad impediendam abſolutionem dari ſolitam addita fuerat magna conjectura eſt, quòd Pontifex abſolvendi ab hęreſi facultatem concedere voluerit. Cæterùm, hominum fidelium conſcientias ex conjecturis, quę fallaces ſunt, ac incertę, regulandas fore non putamus. Difficillimum eſt toti Orbi Catholico notas eſſe hujuſmodi circumſtantias, niſi fortè in litteris exprimerentur. Quamvis de eiſdem conſtaret, adhuc argumentum non eſſet ſufficiens interpretandi Sum. Pont. mentem in re tàm gravi. Si Pont. per ablationem illius exceptionis, petitioni prçcedenti de concedenda facultate abſolvendi ab hęreſi favere voluiſſet, mentem propriam expreſſiſſet, faciendo ſpecialem mentionem hęreſis, cum non prçſumatur in Pontifice ignorantia Conſtitut. ſuorum Prædeceſſorum, *cap. licet de Conſtit. in* 6. inter quas extat prçfata Conſtitutio 37. Gregorii XIII. *Officii noſtri*, in qua dicitur, quòd hęreſis crimen, uti cæteris graviſſimum, ſpeciali nota dignum eſt. Aſſerendum ergò, Confeſſarios, ex vi Jubilęi, ab hęreſi abſolvere non poſſe. Hęc eſt via tuta, nec ſemita eſt inquirenda. Meliùs eſt pauca agere cautè, quàm multa periculosè.

Ad primum jam diximus, quòd ſi tolleretur exceptio hęreſis, adhuc Confeſſarii ab hęreſi abſolvere nequirent. Modò hujuſmodi exceptio non fit ex neceſſitate, ſed ad majorem declarationem, & ad omnem dubitandi occaſionem removendam, ut in ſimili docet Paſ-

Digitized by Google

ſerin *ind. c. Licet*. Si verò de facto ſpecialis hereſis expreſſio non fiat, num ſufficienter Summi Pontif. expreſſerint, ſub conceſſione generali abſolvendi à caſibus reſervatis non comprehendi facultatem abſolvendi ab hereſi, Confeſſarii ex vi Jubilæi abſolvere non poſſunt, etiam caſu quo ſpecialis hæreſis expreſſio non fieret.

Ad ſecnndum, Jubilæi finis, & Sum. Pont. mens in ejus conceſſione eſt, ut omnes ipſum conſequantur, niſi aliquid obſtet. Si verò aliquod impedimentum adſit, ob quod illud aſſequi non valeant, non intendit Pontifex novam facultatem concedere ad illud tollendum, ſed quod talis perſona mediis ordinariis pro tali remotione utatur. Nimis probat argumentum, quia etiam concludit, ex vi Jubilæi, ſub forma, qua modò conceditur, nimirùm cum except. abſolut. ab hæreſi facultatem abſolvendi ab hereſi concedi, quoniam finis Jubilei eſt, ut omne illud conſequantur. Sicut ergò exceptio dicta non obſtat fini Jubilei, ſic pariter eidem non officit, quòd ſub generali conceſſione abſolvendi à caſibus in Bulla Cœne contentis, facultas abſolvendi etiam ab hereſi non veniat. Omnes adhuc Jubilei indulgentias aſſequi valent, quoniam labe hereſis polluti coram Epiſcopo, vel Inquiſitore comparere poſſunt, & ab eiſdem ab excommunicatione abſolvi. Quotieſcumque Summus Pontifex plenariam Indulgentiam elargitur, intendit, ut omnes illam conſequantur, & tamen non per hoc ſpecialis facultas Confeſſariis conceditur. Ad id, quòd de animarum favore ſubditur, ſatis reſponſum eſt.

Ad tertium occurrimus, verba illa, ac generales clauſulas in Jubileo contentas non inferre, aut ſufficienter indicare, quòd mens Pontificis ſit concedere facultatem abſolvendi ab hereſi; quandoquidem, ipſis ſtantibus, & non obſtantibus, Summi Pontifices declararunt, non eſſe ipſorum mentem concedendi hanc facultatem, ut diximus, magiſque patebit ſequenti Sect.

SECTIO II.

An Confeſſarius quilibet approbatus, ex vi Bullæ Cruciatæ, abſolvere poſſit ab excommunicatione in Hæreticos lata?

Videtur Soto 4. *diſt.* 22. *qu.* 2. *art.* 3. Cordube *in ſum. qu.* 8. Reginaldo *in praxi lib.* 8. *num.* 53. Lorce 2.2. *diſp.* 45. *num.* 13. Farinac. *de hereſi qu.* 192. *num.* 63. Fagundez *de præcept. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *nu.* 3 aliiſque poſſe. *Primò*, Quia in Bulla Cruciate conceditur facultas abſolvendi ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo à reſervatis; etiam in Bulla Cœnæ, & ibi hæreſis non excipitur.

Secundò. Salva Bulla Cœnæ integrum manet privilegium in Cruciata

Digitized by Google

ciata conceſſum pœnitentibus, ut ſemel in vita abſolvi poſſint per quemlibet Confeſſarium approbatum à quibuſcumque peccatis, cenſuriſque; idcircò, non obſtante Bulla Cœnæ, pœnitens ex vi privilegiorum conceſſorum per Bullam Cruciatæ, etiam ab excommunicatione, in quam incidit propter hæreſim, abſolvi poterit.

Tertiò. In conceſſionibus magis particularibus, quæ alicui perſonæ, vel Religioni, ut à caſibus Bullæ Cœnæ abſolvere poſſint, cenſeretur conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi, ut ſentiunt nonnulli. Igitur à fortiori idem aſſerendum eſt de conceſſione Bullæ Cruciatæ.

Reſpondeo, Bullam olim accipi pro quodam ſigno, quod ferebant Romani, quandò Civitatem aliquam triumphantes ingrediebantur, qua ex ſignificatione nomen transfertur ad id ſignificandum, cujus virtute facilius homines Regnum Cœlorum ingrediuntur. Et quia litteræ à Summis Pontificibus, ac primo à Julio II. conceſſæ Hiſpaniarum Regibus, multa indulta, ac privilegia in favorem Regni contra Infideles continentes, viam Chriſtifidelibus, ad triumphandum de Dæmone, ſternunt, Bullæ nomen ſortitæ ſunt. Nomine verò Cruciatę nuncupantur, eo quòd gratię per tales literas collatę ſimillimę ſunt iis, quę ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi Chriſtianis Militibus, qui Sanctiſſimo Crucis Signo ſuſcepto ad Terram Sanctam ab inimicis Chriſtiani nominis liberandam proficiſcebantur, conceſſę fuerant. Hoſtienſ. *Cap. Ad deliberandum 2. de judiis.* Eſcobar *lib. 7.* Nugnez *3. p. nu. 27.* Paucis iſtis delibatis circà nomen Bullę Cruciatę, dicimus, non poſſe Confeſſarium quemlibet ex vi dictę Bullę, ab hæreſi, excommunicationeque in hæreticos lata abſolvere. Royas *p. 2. de hæret. nu. 416.* Covaruv. *in cap. Alma Mater p. p. §. 13. num. 15. de ſent. excom.* Barboſ. pluribus aliis relatis, *de poteſt. Epiſ. allegat. 40. num. 31.* Trullench. *lib. p. in Decalog. p. 3. dub. 6. nu. 2.* ubi ſcribit, ſententiam hanc veram eſſe, ac in praxi omninò tenendam, ſervandam eſſe. Brancat. *in Epit. Can. verb. Abſolutio ab hæreſi*, & alii quamplures. Veritatem hanc comprobant ea, quę *ſect. præced.* adduximus, quòd ſub clauſula generali, & conceſſione facultatis abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnę, non veniat facultas abſolvendi ab hæreſi; ſuperaddimus ſolùm Conſtitutionem Gregorii XIII. 37. *Officii noſtri. Nuper ſiquidem accepimus, nonnullos curioſa magis, ac ſubtili, quàm vera interpretatione, prætendere in vim Bullæ Cruciatæ ſanctæ privilegiorum ab eadem Sede conceſſorum eligendi Confeſſores, qui à nonnullis criminibus, & exceſſibus abſolvere poſſint à lapſu, & incurſu in hæreſim abſolvendi facultatem, & auctoritatem, ſaltèm in foro conſcientiæ habere. Nos autem omnem dubitandi occaſionem in præmiſſis removendam eſſe exiſtimantes, ne circa id ullo tempore hæſitari contingat, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia,*

N 2 *ſcil.*

fel. record. Pii Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, an noſtræ intentionis nunquam fuiſſe, vel eſſe, dictis Confeſſoribus aliquo modo abſolvendi ab incurſu, & lapſu in hæreſim, quòd crimen, uti cæteris graviſſimum, ſpeciali nota eſt dignum facultatem concedere, nec ullam per dictum antceſſorem, & nos unquam conceſſam fuiſſe, vel eſſe cenſeri, aut ipſis Confeſſoribus dictorum privilegiorum auctoritate electis abſolutionem impartiri licuiſſe, neque impoſterùm licere, aut abſolutiones, quæ jam forſan eo caſu ſub datorum privilegiorum prætextu per Confeſſores impenſas, minimè ſuffragari potuiſſe, ſeù poſſe, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, & declaramus. Attendant Confeſsarii Conſtitut. hujus clauſulas, percipientq; nullo modo praxi demandari poſse opinionem à principio Sect. relatam. Conceſſionem Bullæ Cruc. interpretari, ut ſe extendat etiam ad abſolutionem ab hæreſi, inquit Summ. Pont. eſse potiùs amantis ſubtilitatem, & curioſitatem, quàm veritatem; vultq; poſt Conſtitut. hanc, non remanere ampliùs locum dubitandi in hac materia, & rationem aſſignat, quoniam hæreſis crimen, uti cæteris graviſſimum eſt, ſpeciali nota dignum. Declarat mentem Pontif. in conceſſione hujuſmodi Indulgentiarum, ac privileg. non eſse, nec fuiſse, concedere facultatem abſolvendi ab hæreſi; non licuiſse, nec licere impoſterùm Confeſsariis abſolvere ab ea, decernens abſolutiones datas in vi Bullæ Cruciatæ nullas eſſe, & invalidas. Quid ulteriùs deſiderari poteſt? Audio quoſdam reſpondere, Pontifices ſucceſſores Gregorii noluiſſe ſilentio ſolo exceptionem hæreſis ſignificare, ſed verbis expreſsis, atque ideò modò ſilentium illud adeò efficax non eſſet ad perſuadendum, ſicut tunc. Sed dicant mihi. Per hoc, quòd in Jubilæis, aut Bulla Cruciatæ addita fuit expreſſa hæreſis exceptio, derogatum ne fuit dictæ Conſtitut. Gregorianæ? Hujuſmodi derogationem non reperio, haud video. Gregorius ipſe ibid. licentiam concedit ſuperaddendi Bullæ Cruciatæ hæreſis exceptionem expreſsam. *Et, ut Chriſtifideles ſupradictæ declarationis commodiùs notitiam habere poſſint, licentiam, & facultatem concedimus Commiſs. Gen. dictæ Cruciatæ, illam de latino ſermone in vulgari, juxta linguam Provinciæ, ubi publicatio ipſius Cruciatæ facienda erit, redactam una cum facultatibus dictæ Cruciatæ, & per modum exceptionis, in ſuo loco, ſivè ad partem imprimi poſſe facere, in contrarium facientibus quibuſcumque non obſtantibus.* Contextu iſto voluit ne Gregorius ſuo Decreto derogare? Motivum, propter quod Pontif. ſucceſſores in Jubilæis, & Cruciata hæreſis exceptionem expreſſerunt, illud idem fuit, quod hic à Greg. adducitur, nimirùm, *Ut Chriſtifideles ſupradictæ declarationis notitiam habere poſſint*; hinc, exceptione iſta ablata, adhuc Conſtit. Gregor. ſuum robur obtinet, & ſemper militat ejuſdem ratio, crimen hæreſis, utpotè graviſſimum, eſſe nota ſpeciali dignum; quapropter in-

terpre-

terpretatio, quæ fieret modù de conceſſione etiam facultatis abſolvendi ab hereſi, ſemper erit potiùs curioſa, & ſubtilis, quàm vera. Urban. VIII. pariter in Conſtit. 105. *In ſpecula*, expreſſit, per Bullam Cruciatæ non concedi facultatem abſolvendi ab hæreſi.

Ad argumenta dicimus in Bulla Cruciatæ translata Hiſpano idiomate, etſi non in latino, haberi exceptionem expreſſam hereſis. Verùm, etiamſi talis exceptio non adeſſet, non per hoc Confeſſarii ab hæreſi abſolvere poſſent, ut diximus. Nec eſt eadem ratio de hæreſi, ac aliis criminibus, illa enim eſt ſpeciali nota digna. Falſum eſt in ſpecialibus conceſſionibus dari facultatem abſolvendi ab hæreſi.

DISCEPTATIO IV.

De Sacrament. Abſolutione Apoſtatarum, Schiſmaticor. Fautor. Hæreticor. ac legentium Libros prohibitos.

APoſtaſia, *receſſus totalis à Fide*; Schiſma, *voluntaria, & pertinax ſubtractio ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis*, ab hæreſi aut non differunt, aut cum ipſa affinitatem habent, ſicuti etiam hæreticorum fautoria, inquiente Tertull. *lib. de præſcript. Perſecutio Martyres facit, hæreſis Apoſtatas tantùm*, & Origene *hom. 9. in Ezech. Ubi Schiſmata, ibi hereſes, & diſſenſiones eſſe oportet*; quamobrem Bulla Cœnæ in eodem Can. omnia iſta delicta comprehendit.

SECTIO I.

An Confeſſarius quilibet Apoſtatas à Fide abſolvere poſſit?

VIdetur poſſe. *Primò*. Quia Apoſtatæ à fide Hæretici non ſunt formales, propriè, & ſimpliciter. Sylveſt. *v. Hæreſis pr. §. 4.* Turrecrem. *lib. 4. Sum. de Eccleſ. part. 2. cap. 13.* Serra 2. 2. *qu. 11. art. pr.* Nam Sancti Patres, inter quos Auguſt. *lib. 18. de Civit. Dei cap. 5.* illos vocant hereticos, qui fidem Chriſti profitentur, ſed alicui ejus dogmati reſiſtunt; Apoſtata autem, qui ad Paganiſmum, vel Judaiſmum deflexit, non retinet nomen Chriſtianum, nec Chriſto aſſentire intendit, ſicut requiritur ad hereſim ex doctrina S. Doctoris 2. 2. *qu. 9. art. pr.* Igitur Apoſtatæ à Confeſſario quolibet abſolvi poterunt, cum ſola hæreſis Summo Pontifici reſervata ſit.

Secundò. Quamplures à Catholica Fide totaliter recedunt, ad Paganiſmum, vel Judaiſmum tranſeuntes per vim, metum, dolum, vel fraudem,

dem, ſolùm exteriùs fidem negantes, cordeque illam retinentes. Iſti ſunt veri Apoſtatæ, & tamen, quia errorem non habent in intellectu, à Confeſſario quolibet abſolvi poſſunt, prout ſcripſere Valer. *de differ. utriuſque fori, v. Hæreſis differ. 2. num. p.* Sylvius *2. 2. qu. 11. art. 3. concl. p.* Diana *p. 3. tract. 4. reſol.* 143. Carena *p. 2. tit. 4. num.* 67. & ferè communiter alii.

Tertiò. Apoſtaſia non pertinet ad infidelitatem, nec eſt ipſius ſpecies, ſiquidem non ſpectat ad hæreſim, Judaiſmum, vel Paganiſmum; nec per aliquod jus reſervata videtur.

Reſpondeo. Non quilibet Confeſſarius ab Apoſtaſia abſolvere poteſt, in cujus dicti confirmationem ſequentem diſcurſum ſubnecto. Hæreticus abſolvi nequit, niſi à Summo Pontif. vel Sacro Tribunali Fidei ſatisfecerit, prout ex præhabitis eſt manifeſtum. Apoſtaſia autem, & hæreſis eſſentialiter, ſpecificèq; non diſtinguuntur, at ſolùm ſecundùm magis, & minus, quia Apoſtata totaliter à Fide recedit, qualis fuit Julianus Apoſtata, *Cap. Non poteſt* 2. *qu.* 7. & *cap. Julianus* 11. *qu.* 3. hæreticus verò eſt, qui aliquibus fidei articulis repugnat, & non in totum à fide deviat, *Cap. Non poteſt. cit.* quarè Apoſtaſia tantummodò importat circumſtantiam magis aggravantem intrà eamdem ſpeciem, Pegna *p. 2. direct. com.* 74. Repert. Inquiſ. *v. Apoſtata*. Alphonſ. de Caſtr. *de juſt. hæret. punit. lib. p. cap.* 7. Ricciull. *de jure perſon. lib. 6. cap. 4. num.* 4. Alter. *de Cenſur. lib. 5. diſp. 2. cap.* 2. Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 2. in Can. p.* 9. 10. Souſa *eod. tract. cap. 2. nu.* 11. Cajet. 2. 2. *qu.* 10. *art. p.* Bannes *qu.* 12. *art. p.* Sylvius *ibid.* quod patere poteſt ex eo, quòd Apoſtaſiæ convenit tota hæreſis definitio, eſt enim error pertinax fidei manifeſtè repugnans in eo, qui profeſſus eſt fidem in manifeſtatione veritatis; idemq; eſt objectum formale utriuſque, cùm objectum formale hęreſis, ex Sancto Doctore, ſit renitentia Fidei Chriſtianæ ſuſceptæ in veritatis manifeſtatione; 2. 2. *qu.* 10. *art.* 5. & Apoſtaſia etiam Fidei jam ſuſceptæ renitatur, quod notum fiet explicando quid nominis, & quid rei ipſius. Apoſtaſia ſecundùm nominis ethimologiam, idem eſt, quod retroſtatio, ſeu retroceſſio, & Apoſtata dicitur quaſi retrò ſtans. *Cap. Quidam de Apoſt. & Can. Non obſervetis* 26. *qu.* 7. ibi, *Apoſtatam, ideſt retrò abeuntem.* D. Th. 2. 2. *qu.* 12. *art. p.* Thomiſtæ *ibid.* Repert. Inquiſit. *v. Apoſtata*, Locatus *ibid.* & alii. Apoſtato idem eſt, ac deficio, transfugo, rebello, oppugno, quod anteà defendebam. Cypr. *ad Cornell. Eos, qui velut apoſtatæ erant, & ad ſæculum, cui renunciaverant, reverſi, gentiliter vivunt.* Apoſtata dicitur ab *Apo*, quod eſt *De*, & *Iſtimi*, quod eſt *Siſto*, indè Apoſtata, ideſt deſiſtens, retrò abiens à fide. Fagnan. *Cap. Conſules de Apoſt.* ex Archid. Sylveſt. & aliis, & de hoc nomine videri etiam poteſt Salonius Vienn. *in explic. Parab. myſtic. Salomonis*, cu-

juſs ſcripta inſerta ſunt in Biblioth. Patrum. Hinc Auguſt. *ſerm. 34. ad Fratres in Eremo*, aſſimilat Apoſtatas uxori Loth, quæ retrò reſpexit. Eſt igitur Apoſtaſia temerarius receſſus à Fide ad aliam Sectam, & Sacri Script. Apoſtatæ nomen uſurpant pro eo, qui à Chriſtiana, & Cath. Relig. ad Ethnicos, Judæoſve tranſeunt. Juſtinus Mart. *in Dial.* Anacletus *ep. 1.* Hermas *lib. 3.* Cypr. *ep. 17. & 58.* Neq; officit, quòd hæreſis dicat ſolùm partialem receſſum, apoſtaſia totalem, quia ab eo, quod eſt ſemel ſuſceptum, recedere ſecundùm magis, & minùs, eſſentiam non variat, ſicuti manet ratio prodigalitatis, ſivè quis omnia ſua prodigat, ſivè ſolummodò partem. Excommunicatos eſſe Apoſtatas in Bull. Cœnæ, omnes pœnas à jure in hæreticos latas in iſtis locum habere, docent communiter Doctores, Eymeric. *p. 2. direct. q. 49.* Pegna *ibid.* Repert. Inquiſit. *ubi ſupra*, Alter. Duardus, & latè Farinac. *de hæreſi q. 183. §. 2. à num. 14.* Quo jure ergo à Confeſſario quolibet abſolvi poterunt? Sed demus, Apoſtatas ſub hæreticorum nomine non venire, adhuc Apoſtaſia eſt Summo Pontifici reſervata, annexamq; habet excommunicationem Bull. Cœnæ, ibi, *Et à Chriſtiana Fide Apoſtatas, & ſingulos alios hæreticos, quocumq; nomine cenſeantur;* undè indiſcriminatim à Confeſſariis quibuſcumque apoſtata abſolvi nequit. Caſu tamen, quo inferior Confeſſarius facultatem haberet, vel occaſione articuli, periculivè mortis, vel quia ipſi delegata eſſet poteſtas abſolvendi ab Apoſtaſia; ſervare deberet in ejus abſolutione ea, quæ circà praxim adhibendam in hæretico abſolvendo tradidimus. Specialiter admonendus eſt apoſtata de gravitate criminis apoſtaſiæ, quæ pro ſui Auctore, teſte Ireneo *lib. pr.* Simonem Magum cognoſcit, & juxtà Hieronymi placitum *in Coment. Hierem. cap. 24.* eſt gentilitate deterior, ac per ficus malas valdè apud dictum Prophetam ſignificatur.

Ad primum, jam diximus contrà apoſtatas eodem modo procedi, ſicut contrà hæreticos, & præter citatos Doctores, idem docent Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap. 8. num. 13.* Azor. *tom. p. Moral. lib. 8. cap. 22. q. ult.* & apoſtaſiam non diſtingui ab hæreſi eſſentialiter, ac ſpecificè, at tantùm accidentaliter. Hæreſis ſimplex, ut accidentaliter ab apoſtaſia differat, profeſſionem Fidei Chriſti requirit; at eſſentialiter, & per ſe loquendo non importat ſolùm partialem receſſum, ſed ſalvatur tùm in partiali, tùm in totali, ut diximus de prodigalitate; & aliàs per ſolam multiplicationem hæreſum, itaut, qui taliter hæreſes multiplicaret, ut à tota fide recederet, deſineret eſſe hæreticus; & tamen per multiplicationem furtorum, aut homicidiorum quis non deſinit eſſe fur, vel homicida. *Ulteriùs* reſpondetur, quòd etiamſi apoſtaſia eſſet ſpecificè ab hæreſi diſtincta, adhuc in Bulla Cœnæ eſt peculiariter reſervata per illa verba; *Et à Chriſtiana fide apoſtatas*; quæ addita ſunt, nè aliquis crederet,

Digitized by Google

deret, eos non manere excommunicatos, ea nixus opinione, quæ aſſerit, apoſtatam propriè, & ſimpliciter hæreticum non eſſe. Souſa *in Bulla Cœnę cap. 2. num. 11.*

Ad ſecundum, ſicut ille, qui verbo, vel facto ſe hæreticum oſtendit, ſed errorem in mente non habet, non excommunicatur in Bulla Cœnæ, D. Anton. *part. 2. tit. 12. cap. 5.* Sylveſt. *v. hæreſis p. §. 9. & v. Apoſtaſia §. 2.* Tabien. *v. Hæreticus num. p.* Bannes 2. 2. *q. 11. art. 4.* Souſa *in Bulla Cœnæ cap. 2. diſp. 5. num. 2.* Dominicus à S. Th. *Cap. 302. num. 4.* ità apoſtata ſolùm exterior, & in ſuo intellectu rectè ſentiens; non eſt excommunicatus, ſed à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt, ut docent Scriptores in argumento citati. Sed falſum eſt, talem eſſe verè apoſtatam, cùm apoſtaſia requirat, ſicuti hæreſis, errorem mentalem.

Ad tertium, Angelicus Doctor 2. 2. *q. 12. art. p.* probat apoſtaſiam ſimpliciter dictam ad infidelitatem pertinere, cùm ſit receſſus à fide; adducens *in argumento, ſed contrà* dictum *Joan. 6. Multi diſcipulorum ejus abierunt retrò*, quod eſt apoſtatare, de quibus ſuprà dixerat Dominus: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, ex quo infert, apoſtaſiam ad infidelitatem pertinere. In reſponſ. autem ad tertium inquit. *Apoſtaſia non importat determinatam ſpeciem infidelitatis, ſed quamdam circumſtantiam aggravantem, ſecundùm illud 2. Petri 2. Melius erat eis, veritatem non cognoſcere, quàm poſt cognitam retroire.* Videatur Cano *de locis Theol. lib. 12. cap. 9.*

SECTIO II.

An confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Schiſmaticos, ſaltem purè externos.

Videtur, quòd ſic. *Primò.* Schiſmatici, prout tales, hæretici non ſunt; hæreſis enim, & ſchiſma ſunt vitia diverſa, ut indicavit D. Hieronymus *in Epiſt. p. Pauli ad Titum cap. 3.* inquiens, *inter hæreſim, & ſchiſma hoc intereſſe arbitror, quòd hæreſis perverſum dogma habeat; Schiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparat.* Angelicus etiam Doctor. 2. 2. *q. 39. art. p. ad 3.* ſcriptum reliquit. *Hæreſis, & Schiſma diſtinguuntur ſecundùm ea, quibus utrumq; per ſe, & directè opponitur. Nam hæreſis per ſe opponitur fidei, ſchiſma autem per ſe opponitur unitati Eccleſiaſticæ charitatis. Et ideò, ſicut Fides, & Charitas ſunt diverſæ virtutes, quamvis quicumq; caret Fide, careat Charitate: ità etiam ſchiſma, & hæreſis ſunt diverſa vitia, quamvis quicumq; eſt hæreticus, ſit etiam ſchiſmaticus, ſed non convertitur.* Dato autem, quòd purè ſchiſmatici hęretici non ſint, at ſolùm de hęreſi

ſuſpecti

ſuſpecti, à quocunq; Confeſſario, ſicuti alii de hæreſi ſuſpecti, abſolvi poterunt.

Secundò. Hæreſis, & Apoſtaſia purè exterior non eſt reſervata in Bulla Cœnæ; ſed quicunq; Confeſſarius approbatus ab illa abſolvere poteſt, ut ex ſuprà probatis ſupponimus. Cur idem de Schiſmate purè externo aſſerendum non erit? cum hæreſis, & ſchiſma dicantur ſorores; & ſchiſma ſit via ad hereſim; itaut Paleſtinæ Doctor ibidem ſubdat; quòd *Schiſma aliqua in parte in principio poteſt intelligi diverſum ab hæreſi. Cæterùm nullum ſchiſma eſt, quod non ſibi hæreſim aliquam confingat, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur?*

Tertiò. Schiſmatici, qui heretici non ſunt, excommunicationis vinculo non ligantur, quoniam nec propriè ſchiſmatici ſunt, & ità ſentit Farinac. *de hæreſi q.* 184. *num.* 59. Aliàs excommunicati eſſent, qui tempore ſchiſmatis ſe ab obedientia veri Pontificis ſeparant; aut ab obedientia particularis Epiſcopi recedunt; vel indirectè ab obedientia Eccleſiæ, vel Pontificis ſe eximunt.

Reſpondeo. *Schiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici*, verbis utor Angelici Doctoris, 2. 2. *q.* 39. *art. p. & qui membris Eccleſiæ ei ſubjectis communicare recuſant*; quales fuere Joannes, & Petrus de Columna, de quibus *in Cap. Unic. de ſchiſm. lib.* 6. Epiſcopus Aquileien. *Cap. Quia diligentia, de elect.* Guido, & Octavianus Epiſcopi, *Cap. p. de ſchiſmat.* ſiquidem ſchiſmatis nomen à ſciſſura animorum vocatum eſt, ſciſſio autem unitati opponitur; Undè ſchiſma definitur, quòd ſit illicita diſiunctio, per quam aliquis ſe voluntariè ſeparat ab unitate Eccleſię, inquantum eſt corpus myſticum, conſtat ex univerſis fidelibus, ac Summo Pontifice Chriſti Vicario, ut capite. D.Th. *ubi ſuprà*, Cajet. Bannes, Sylvius, aliiq; ipſius Diſcipuli *ibidem*. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 20. Paſſerin. *Cap. ad ſuccidendos de Apoſtat. in* 6. Turrecrem. *in Sum. Eccleſ. lib* 4. *part. p. cap. p.* Archiepiſc. Florent. *part.* 2. *Sum. cap.* 3. *tit.* 11. Sylveſt. Repert. Inquiſit. & Tabien. *v. Schiſma*. Pręmiſſa hac perbrevi terminorum explicatione, *Dico*, Schiſmaticos per Confeſſarium quemlibet abſolvi non poſſe. Ratio eſt. Schiſmatici, vel ab Eccleſia dividuntur, nedùm quo ad obedientiam, verùm etiam quo ad credentiam, & cum illi heretici ſint, pœnis omnibus ab hæreticis luendis plectuntur; & contrà ipſos, ſicuti contrà hæreticos, proceditur, cum nolint credere determinationibus Eccleſiæ, ut de fide factis. Eymeric. *part.* 2. *Direct. q.* 48. Souſa, *loco cit. num.* 12. & de ſchiſmate hoc loqui videtur Auguſtinus, *lib.* 2. *contrà Creſconium cap.* 7. inquiens. *Proindè quamvis inter ſchiſma, & hæreſim magis eam diſtinctionem approbem, qua dicitur ſchiſma eſſe recens congregationis ex aliqua ſententiarum diverſitate diſſenſio (neq; enim ſchiſma fieri poteſt, niſi diverſum aliquod ſequantur,*

Q qui

Digitized by Google

qui faciunt) *hæreſis autem ſchiſma inveteratum*. Vel ſchiſmatici ſunt ab Eccleſia diviſi ſolùm, quoad obedientiam, nullum habentes de credendis errorem in mente, nec de defendendo errorem, pertinaciam in voluntate; de quibus ſermonem habens Chriſtian. Grammat. *Hom. in Cap.* 13. *Matth.* dixit. *Solet autem quæri, etiam ſchiſmatici quomodo ab hæreticis differant, & hoc inveniri, cum ſchiſmaticos non fides diverſa faciat, ſed communionis diſrupta ſocietas;* de eiſdem etiam loquebatur Hieron. ſuprà relatus, & habetur *Cap. Inter hęreſim, & Schiſma* 24. *q.* 3. Iſti, quamvis hæretici non ſint, adhuc per Confeſſarium quemlibet abſolvi nequeunt, quoniam excommunicati ſunt in Bulla Cœnæ, ibi. *Necnon ſchiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt;* per quæ verba excommunicantur ſchiſmatici, qui hæretici non ſunt. Toletus *in Sum. lib. p. cap.* 19. *§. Decimum genus*. Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 2. *diſp.* 18. *num.* 4. Paſſerin. *ubi ſuprà num.* 15. & alii, ſiquidem ſchiſmatici hæretici jam per particulam, *Hęreticos*, excommunicati fuerant; neq, particula, *Schiſmaticos*, addita fuit majoris explicationis gratia, aliàs appoſita fuiſſet juxtà illam, *Hęreticos*, ut factum fuit de iſta, *Apoſtatas*. Schiſmatici non hæretici ſunt propriè ſchiſmatici, cum ab Eccleſia ſe ſeparent, quapropter pœnis ſchiſmaticorum, inter quas eſt excommunicatio, ſubiecti ſunt. Quod verum eſt, etiamſi ſchiſma ſit purè externum. Souſa *diſp.* 19. *nu.* 5. *& lib. p. Aphoriſ. cap.* 20. *nu.* 16. Duard. *lib.* 2. *in Can. p. q.* 56. *num.* 8. Pueron. *cap. p. nu.* 230. Trullench. *in Decal. lib. p. cap.* 3. *dub.* 17. Sanchez. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 14. Paſſerin. *num.* 15. & alii plures; quia ad peccatum ſchiſmatis ſatis eſt actio externa, qua aliquis ſeparatur à Romano Pontifice Eccleſię capite, procedens à voluntate exercendi talem actionem, nec ſchiſma eſſentialiter conſiſtit in mente. Ex his inferunt præfati Scriptores, Catholicos, qui in hęreticorum terris vivunt, ut in Anglia, eſſe verè ſchiſmaticos excommunicatos in Bulla Cœnę, ſi ad Regem, ut ſupremum caput in ſpiritualibus, recurrant, quantumcumq; fictè accedant, ipſum tale caput non eſſe credentes; quia licèt intùs in fide non errent, extrinſecùs tamen ſe ab Eccleſia ſeparant, ideòq; ſunt veri ſchiſmatici, excommunicati in Bulla Cœnę. Non ergo Confeſſarii omnes abſolvere poſſunt ſchiſmaticos extrà mortis articulum, ſecluſiſq; privilegiis, ſed tempore Jubilęi, & ex vi Bullę Cruciatę eiſdem, dummodò cum ſchiſmate conjuncta hęreſis non eſſet, abſolutionem impendere poſſent. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 17. Lupus *part.* 2. *Edictilib.* 11. *diſt.* 2. *art.* 7. & alii; nam ſola hęreſis ob ejus gravitatem reſervatur. Poteſt etiam Confeſſarius ſchiſmaticos abſolvere, ſi iſti coram Inquiſitore, vel Epiſcopo abjuraverint, ac à cenſura externo in foro fuerint abſoluti. In caſi-

Digitized by Google

caſibus, in quibus facultatem haberet abſolvendi ipſos, deberet uti praxi à nobis tradita inferiùs pro hæreticorum abſolutione, & admonere deberet pœnitentes de ſchiſmatis gravitate, quam inſinuavit Auguſt. *lib. 2. de baptiſ. contrà Donatiſt.* per hęc verba. *Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœna exemplis cavenda monſtravit, & idolum fabricatum, atq; adoratum, eſſet propheticus liber ira Regis contemptoris incenſus, & ſchiſma tentatum; idololatria gladio punita eſt, exuſtio libri bellica cæde, & peregrina captivitate. Schiſma hiatu terræ ſepultis autboribus vivis, & cœteris cœleſti igne conſumptis. Quis jam dubitaverit, hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt gravius vindicatum?* Videri etiam poſſunt Irenæus *lib. 4. adverſus hæreſ. cap. 62.* Clem. Rom. *lib. 6. Conſtit. cap. p.* Dionyſ. Alex. *apud Euſeb. lib. 6. hiſtor. cap.* 37. Monere etiam tenetur Confeſſarius ſchiſmaticum de pœnis contractis, quæ plures ſunt, & de ipſis Paſſerin. *ubi ſuprà*, Delbene latè *dubit.* 48. & alii.

Ad primum ſolutio patet ex dictis. Quamvis plures ſchiſmatici ſint ſolùm de hæreſi ſuſpecti, forſan etiam de levi, & non hæretici; tamen adhuc tale ſchiſma reſervatum eſt in Bulla Cœnæ, quoniam ibi eſt ſermo de ſchiſmate formaliter, prout diſtincto ab hæreſi. Neq; eſt verum, omnes de hæreſi ſuſpectos abſolvi poſſe per Confeſſarium quemlibet.

Ad ſecundum, non eſt eadem ratio de hæreſi, ac de ſchiſmate. Crimen hæreſis eſt in ſui ſubſtantia mentale; ſed ſchiſma eſſentialiter in mentis errore non conſiſtit, at in exteriori actu voluntario, libera videlicet ſeparatione à membris, & capite Eccleſiæ. Eſt enim verus ſchiſmaticus, qui verbis, vel factis ſeſe in Eccleſiam, vel Pontificem rebellem oſtendit. Duardus, Paſſerin. Delbene, & alij ſuprà allegati. Carena *part. 2. tit. 4. num.* 70. ubi etiam citat Bonac. *de Cenſur. in ſpecie tom. 3 diſp. p. q. 2. punct. 5. n.* 10. Scort. *in Select. Roman. Pontif. Conſtit. Epit.* 166. *theorem.* 410.

Ad tertium, Tolet. *lib. 4. Sum. cap. 11. in fine*, Farinac. *q.* 184. *num.* 59. à Paſſerino relatus, aliiq; putant, ſchiſmaticos non hæreticos non comprehendi ſub excommunicatione Bullæ Cœnę, quia puri ſchiſmatici non ſunt propriè, ſed largè ſchiſmatici. At iſti attendendi non ſunt, quoniam intrà propriam lineam ſchiſmatis, quę diverſa eſt à linea hęreſis, dantur ſchiſmatici propriè tales; nec aliquis ſe ab unitate Eccleſię ſeparat, quia ſit hęreticus, & de ſchiſmaticis propriè loquitur Auguſtinus *lib. p. de baptiſm. contrà Donat. cap.* 8. dum inquit. *Quid prodeſt homini, vel ſana fides, vel ſanum fortaſſe ſolum fidei Sacramentum: ubi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis; per cujus ſolius peremptionem, etiam illa integra trahuntur ad mortem?* Siquidem ſchiſma propriè ſtat cum fide, & charitati ſolummodò opponitur, ut etiam do-

cet D. Th. *ad* 3. & indicavit Auguſt. *eod. lib. cap.* 11. *An non in ſchiſmate odium fraternum. Quis hoc dixerit, cum & origo, & pertinacia ſchiſmatis nulla ſit alia, niſi odium fraternum?* Videri etiam poteſt *cap.* 14. Ad ea, quę ſubduntur, dicimus, ſchiſmaticum non eſſe, qui in dubio, an aliquis ſit Pontifex, motus ex rationabili motivo, ex ignorantia tamen invincibili, aut probabili proveniente, ſe ab obedientia veri Pontificis ſeparat, & alteri Pontifici, quem legitimum credit, ſe ſubiicit, paratus ſemper obedire, ubi conſtiterit, illum eſſe legitimum Pontificem, quia iſte ſolùm materialiter eſt ſchiſmaticus, & ignorantia illum excuſat, cum deſit pertinacia, & rebellio. Cajet. *v. Schiſma*, Paſſerin. *num.* 11. & alii ab ipſo relati. Neq; ſchiſmatici ſunt, qui ab obedientia particularis Epiſcopi recedunt, dummodò Pontificem, ut caput recognoſcant. Innoc. *in Cap. p. de Schiſmat.* Hoſt. *num. p.* Butr. *num.* 4. Paſſer. *loco cit. num.* 12. Sufficit tamen ad ſchiſma, quòd aliqui etiam indirectè ab Eccleſia recedant, seù Pontificis obedientia, ut congregantes Concilium, aut ipſum jam diſſolutum proſequentes. Cajet. 2. 2. *q.* 39. *art. p. ad* 3. Paſſerin. *num.* 9. ad quem Lectorem remitto.

SECTIO III.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit credentes, receptatores, & defenſores hæreticorum?

Videtur poſſe. *Primò*. Qui ſemel, aut bis hæreticorum concionibus interſunt, verè ſunt eorum credentes, ſicut enim, ut aliquis hereticus maneat, ſufficit, ut unicum ſignum externum exhibeat, ſic, ut quis dicatur credens hereticorum, ſufficit, ſemel, aut bis eorum concionibus intereſſe, & tamen tales à Confeſſario quolibet abſolvi poſſunt, nec ſunt excommunicati. Souſa *in Bulla Cænæ cap.* 2. *diſp.* 8. *à num.* 8. Quamobrem, verum non eſt, ſaltem univerſaliter, credentes hereticorum à Confeſſario quolibet abſolvi non poſſe.

Secundò. Sicut excommunicatur in Bulla Cœnę heretici, ità etiam ſchiſmatici, ut dictum eſt. Schiſmaticorum autem fautores, defenſores, & receptatores, excommunicati non ſunt, & à Confeſſario quolibet abſolvi poſſunt. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 20. *num.* 17. Delbene *dubit.* 48. *ſect.* 3. *num.* 5. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub.* 17. Lupus *part.* 2. *lib.* 11. *diſt.* 2. *art.* 6. *diff.* 2. quamvis ligentur per excommunicationem latam à Paulo IV. in Conſtit. *Cum ex Apoſtolatus officio*, quę non eſt reſervata. Igitur & fautores, & defenſores, ac receptatores hæreticorum per Confeſſarium quemlibet abſolvi poterunt. Quęnam major ratio de iſtis, quàm de illis?

Ter-

Tertiò. Plures ſunt, qui hęreticis favent, non ex motivo hęreſis, ſed affinitatis, conſanguinitatis, vel amicitię, & quatenùs parentes, & amicos, non ut hęreticos, illos receptant. Durum eſſet, quòd iſti ob talem fautoriam, defenſionem, & receptationem eſſent excommunicati excommunicatione Papali, & Summo Pontifici reſervata; quod etiam negant, Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 5. Bonac. *diſp.* 2. *de Cenſur. q.* 5. *punct.* 3. *num.* 2. Bordon. *cap.* 12. *num.* 28. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 21. Azor. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 3. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub.* 9. *nu.* 4. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can. p. q.* 29. *num.* 5. & alii plures.

Reſpondeo. *Credentes* hęreticorum propriè non ſunt, niſi qui mente eorum errores credunt, ſaltem implicitè, & in genere, verbis, vel factis; *verbis*, ſi dicant ipſorum doctrinam eſſe veram, ſi illam, ut veram, laudent, vel extollant, ſi illam tueantur. Paſſerin. *Cap. Ut Officium*, *el* 2. *de hæret. in* 6. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *à num.* 76. *Factis*, ſi id agant, quod eſt inſtitutum ad hæreſim ſignificandam, ut ſi ſpeciale ſignum alicujus ſectæ hæreticorum deferant. *Receptator* hæretici nuncupatur, qui ſcienter illum recipit, cauſa occultandi, tuendi illum, vel cavendi eidem, *argum. l. p. & 2. ff. de receptoribus*. *Fautor* hæreticorum eſt, qui in cauſis hæreſis eidem favorem præſtat, ac *Defenſor*, qui, vel hæreticorum errores, aut perſonas defendit. Plura explicanda eſſent circa has materias, pro diverſis caſibus particularibus, in quibus dubitatur, an quis dicatur credens, fautor, defenſor, aut receptator hæreticorum. Verùm non eſt inſtituti noſtri iſta diſcutere, & remittimus Lectorem ad Scriptores, qui diffusè materiam hanc pertractant, nobis ſufficit, qualemcumq; terminorum explicationem tradidiſſe; qua præmiſſa, dicimus, non omnem Confeſſarium abſolvere poſſe credentes, receptatores, fautores, ac defenſores hereticorum; quod dictum eſt commune, quamvis perpauci controverſiam hanc in terminis exagitent. Credentes hæreticorum, propriè loquendo de illis, hęretici ſunt, Eymeric. *part.* 2. *Direct. q.* 50. Pegna *ibidem com.* 75. Suarez *de fide diſp.* 24. *ſect. p. num. p.* Farinac. *q.* 182. *num.* 121. Paſſerin. *in Cap. Filii num.* 17. *de hæret. in* 6. Salelles *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 213. Delbene *p. p. dubit.* 14. *corrol. num.* 3. Defenſores etiam hæreticorum aliquando hæretici ſunt, ut ſi eorum errores defendunt, tunc enim ſunt Hęreſiarchæ. Iſti cum hæretici ſint, certum eſt abſolvi non poſſe à Confeſſario quolibet. Sed demus, quòd credentes, fautores, defenſores, receptatores hæreticorum ſint tantùm de hæreſi ſuſpecti, non verò hæretici, adhuc ipſorum crimen reſervatum eſt Summo Pontifici, excommunicatiq; ſunt in Bulla Cœnæ, ibi. *Ac omnes, & ſingulos alios hæreticos, quocumq; nomine cenſeantur, & cujuſcumq; ſectæ exiſtant; ac eorum credentes, receptatores, defenſores &c.* Pœnas etiam omnes,

quæ

Digitized by Google

quæ in jure ſtatutæ ſunt in hæreticos, ad ipſorum credentes extendi, ſcripſere Abbas *in Cap. Excommunicamus el p. de hæret.* Socin. *ibid. nu.* 36. Sylveſt. *v. Hæreſis*, & alii, quos cumulat Sanctarel. *Si inquiras*; Num defenſores, fautores, & receptatores hæreticorum excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant, itaut abſolvi nequeant per Confeſſarium quemlibet, etiam effectu non ſequuto; quia ſcilicet, non obſtante hujuſmodi fautoria, receptatione, ſeù occultatione, hæreticus captus fuit, vel condemnatus? Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 10. *num.* 9. Bonac. & alii apud Dianam *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 21. opinantur, quòd non, ſiquidem excommunicatio iſta primariò, & principaliter fertur in hæreticos, & quaſi acceſſoriè derivatur, ac extenditur ad fautores; ubi autem principaliter aliquis excommunicatur, & acceſſoriè mandantes, fauentes, conſulentes, hi cenſuram non incurrunt, effectu conſilii non ſequuto, aut favoris, ſicuti mandans percuti Clericum in excommunicationem non incidit, percuſſione non ſequuta. At aſſerendum eſt, præfatos excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contrà fautores, defenſores, ac receptatores hæreticorum incurrere. Graff. *lib.* 4. *deciſ. cap.* 18. *num.* 34. Suarez *de fide diſp.* 24. *ſect. p. nu.* 14. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *Can. p. q.* 31. *num.* 2. Card. de Lugo *de fide diſp.* 25. *ſect. p. num.* 9. Sayrus *tom. p. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 21. Palaus *tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 5. *nu.* 11. Bordon. *cap.* 12. *nu.* 31. & alii; quia effectus prohibitus, cui annexa eſt cenſura, non eſt omnimoda liberatio hæretici, ſed receptatio, & favor eidem præſtitus; iſte autem effectus completè ponitur in caſu noſtro, etiamſi poſteà hęreticus capiatur, vel condemnetur. In articulo mortis, ex vi Bullę Cruciatę, & ſi Confeſſarius aliquis haberet à Summo Pontifice facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, & Jubilęi tempore, fautores, defenſores, receptatores, ac credentes hęreticorum, ſi hæretici non ſint, per quemlibet Confeſſarium abſolvi poſſent. Fautores ſuſpectorum de hæreſi non ſunt dicta cenſura ligati, quoniam ſuſpecti de hęreſi non veniunt ſub hæreticorum nomine, & ideò non poteſt procedi contrà aliquem, tanquam contrà fautorem hæreticorum, niſi plenè conſtet de hæreſi, cui fauor præſtatur. Paſſerin. *in Cap. Ut Officium el* 2. *num* 11. *de hæret. in* 6. ex doctrina Bart. *in l. Is, qui ff. de furt.* Judic. Inquiſit *v. Fautores*. Mandoſ. *ad Repert. Inquiſit. eod. v. lit. H.* Farinac. *q.* 182. *num.* 11. Caſu, quo Confeſſarius præfatos abſolvere poſſet, deberet eiſdem gravitatem criminis proponere, quam indicavit Sacra Scriptura *lib.* 2. *Paralip. cap.* 9. verbis in illis. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia conjungeris, idcircò iram Domini mereris*; necnon Baſilius relatus à Gratiano *in Cap. Qui conſentit* 11. *q.* 3. ibi. *Hinc etiam quidam Sanctiſſimus Pater ait. Si quis peccantem defendit, acriùs, quàm ille, qui peccavit, coerceatur.* Ad

Ad primum controvertunt Scriptores, num dici poſſit credens hæreticorum ille, qui bis ipſorum conciones audit. Achidiac. Geminian. Joann. Andr. pluresq; alii Canoniſtę *in Cap. Quicunq; de hæret. in* 6. affirmativam partem tuentur, quoniam ex actu geminato crimen ad conſuetudinem trahi videtur, *l. Nemo, C. de Epiſc. audient*. At Eymeric. *part.* 2. *Direct. q.* 50. Pegna *ibid.* & alii ſuſtinent non ſufficere ſemel, vel bis audire hæreticorum conciones, ad hoc, ut quis dicatur credens hæreticorum; nam periti Avenionenſes conſilio quodam de hac re edito anno 1235. dixerunt. *Similiter eos dicimus credentes, qui frequenter viſitantes Valdenſes, vel prædicationem eorum audientes*. Verùm prudenter Paſſerin. *ubi ſuprà, num* 9. admonet eſſe arguendum, an aliquis ſit credens hęreticorum, in hoc caſu ex circumſtantiis, ſi tales ſint, ut illis ſpectatis per ſe ſignificetur, quòd audiens conciones hæreticorum id faciat ex affectione, & fide, quam habet ad illorum dogmata. Si ex circumſtantiis cognoſcatur, audientem hæreticorum conciones eſſe credentem hęreticorum, abſolvi non poterit; ſecùs à quolibet Confeſſario abſolutionem poterit obtinere.

Ad ſecundum, non eſt eadem ratio de fautoribus hæreticorum, & de fautoribus ſchiſmaticorum, quia in Bulla Cœnæ non exprimuntur fautores Schiſmaticorum, ſicuti fautores, receptatores, ac defenſores hæreticorum, & in pœnalibus ad non expreſſa extenſio non fit. Tempore tamen Cajetani, in Bulla Cœnæ excommunicabantur etiam fautores Schiſmaticorum per hæc verba. *Aut in eiſdem conſilium, auxilium, vel favorem præſtare non verentur*. Cajet. *in ſumm. v. Excommunicatio cap.* 7. Excommunicatio lata contrà facientes aliquid non extenditur ad adjuvantes, mandantes, conſulentes, faventes, & defendentes, niſi de illis fiat expreſſa mentio. Cajet. *v. Excommunicatio ferè in princip.* Navar. *in ſum. cap.* 27. *num.* 31. Sylveſt. *v. Excommunicatio ult.* Tabien. *ibid.* 4. *caſ.* 49. *num. fin.* Armilla *num.* 2. & alii, quos refert Delbene *dubit.* 48. *ſect.* 3. *num.* 6.

Ad tertium, non levis eſt difficultas inter Scriptores, *Num* fautorum hæreticorum nomine veniant illi, qui hæreticis favent, non ex directa intentione favendi hæreſi, ſed titulo conſanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ, quibuſdam id negantibus, Sanch. *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *nu.* 5. Bonac. ut cœteros omittam; aliis affirmantibus. Gloſ. *in cap. Excommunicamus, el p. §. Credentes de hæret:* Joann. Andr. *nu* 28. *in fin.* Marian. Soccin. *nu.* 75. Zabarel. *nu.* 5. Judic. Inquiſit. *v. Receptatio*. Royas *ſingul.* 171. *num.* 4. & alii plures. Pro nunc dicimus, ſatis probabilem eſse ſententiam illorum, qui dicunt, in foro conſcientiæ excommunicatum non eſse illum, qui ex motivo ſanguinis, vel amicitiæ, aut alio, quod non ſit hereſis, hæreticum receptat; Undè Confeſsarius quilibet illum

Digitized by Google

ſerip. *ind. c. Licet*. Si verò de facto ſpecialis hereſis expreſſio non fiat, cum ſufficienter Summi Pontif. expreſſerint, ſub conceſſione generali abſolvendi à caſibus reſervatis non comprehendi facultatem abſolvendi ab hereſi. Confeſſarii ex vi Jubilæi abſolvere non poſſunt, etiam caſu quo ſpecialis hæreſis expreſſio non fieret.

Ad ſecundum, Jubilæi finis, & Sum. Pont. mens in ejus conceſſione eſt, ut omnes ipſum conſequantur, niſi aliquid obſtet. Si verò aliquod impedimentum adſit, ob quod illud aſſequi non valeant, non intendit Pontifex novam facultatem concedere ad illud tollendum, ſed quod talis perſona mediis ordinariis pro tali remotione utatur. Nimis probat argumentum, quia etiam concludit, ex vi Jubilæi, ſub forma, qua modò conceditur, nimirùm cum except. abſolut. ab hæreſi facultatem abſolvendi ab hereſi concedi, quoniam finis Jubilei eſt, ut omne illud conſequantur. Sicut ergò exceptio dicta non obſtat fini Jubilei, ſic pariter eidem non officit, quòd ſub generali conceſſione abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnę contentis, facultas abſolvendi etiam ab hereſi non veniat. Omnes adhuc Jubilei indulgentias aſſequi valent, quoniam labe hereſis polluti coram Epiſcopo, vel Inquiſitore comparere poſſunt, & ab eiſdem ab excommunicatione abſolvi. Quotieſcumque Summus Pontifex plenariam Indulgentiam elargitur, intendit, ut omnes illam conſequantur, & tamen non per hoc ſpecialis facultas Confeſſariis conceditur. Ad id, quòd de animarum favore ſubditur, ſatis reſponſum eſt.

Ad tertium occurrimus, verba illa, ac generales clauſulas in Jubileo contentas non inferre, aut ſufficienter indicare, quòd mens Pontificis ſit concedere facultatem abſolvendi ab hereſi; quandoquidem, ipſis ſtantibus, & non obſtantibus, Summi Pontifices declararunt, non eſſe ipſorum mentem concedendi hanc facultatem, ut diximus, magiſque patebit ſequenti Sect.

SECTIO II.

An Confeſſarius quilibet approbatus, ex vi Bullæ Cruciatæ, abſolvere poſſit ab excommunicatione in Hæreticos lata?

Videtur Soto 4. *diſt.* 22. *qu.* 2. *art.* 3. Cordube *in ſum. qu.* 8. Reginaldo *in praxi lib.* 8. *num.* 53. Lorce 2. 2. *diſp.* 45. *num.* 13. Farinac. *de hereſi qu.* 192. *num.* 63. Fagundez *de præcept. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *nu.* 3 aliiſque poſſe. *Primò*, Quia in Bulla Cruciate conceditur facultas abſolvendi ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo à reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ, & ibi hæreſis non excipitur.

Secundò. Salva Bulla Cœnæ integrum manet privilegium in Cruciata

ciata conceſſum pœnitentibus, ut ſemel in vita abſolvi poſſint per quemlibet Confeſſarium approbatum à quibuſcumque peccatis, cenſuriſque; idcircò, non obſtante Bulla Cœnæ, pœnitens ex vi privilegiorum conceſſorum per Bullam Cruciatæ, etiam ab excommunicatione, in quam incidit propter hæreſim, abſolvi poterit.

Tertiò. In conceſſionibus magis particularibus, quæ alicui perſonæ, vel Religioni, ut à caſibus Bullæ Cœnæ abſolvere poſſint, cenſeretur conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi, ut ſentiunt nonnulli. Igitur à fortiori idem aſſerendum eſt de conceſſione Bullæ Cruciatæ.

Reſpondeo. Bullam olim accipi pro quodam ſigno, quod ferebant Romani, quandò Civitatem aliquam triumphantes ingrediebantur, quæ ex ſignificatione nomen transfertur ad id ſignificandum, cujus virtute faciliùs homines Regnum Cœlorum ingrediuntur. Et quia litteræ à Summis Pontificibus, ac primo à Julio II. conceſsæ Hiſpaniarum Regibus, multa indulta, ac privilegia in favorem Regni contra Infideles continentes, viam Chriſtifidelibus, ad triumphandum de Dæmone, ſternunt, Bullæ nomen ſortitæ ſunt. Nomine verò Cruciatę nuncupantur, eo quòd gratię per tales literas collatę ſimillimę ſunt iis, quę ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi Chriſtianis Militibus, qui Sanctiſſimo Crucis Signo ſuſcepto ad Terram Sanctam ab inimicis Chriſtiani nominis liberandam proficiſcebantur, conceſsę fuerunt. Hoſtienſ. *Cap. Ad deliberandum. 2. de judic.* Eſcobar *lib. 7.* Nugnez *3. p. q. 27.* Paucis iſtis delibatis circà nomen Bullę Cruciatę, dicimus, non poſse Confeſſarium quemlibet ex vi dictę Bullę, ab hæreſi, excommunicationeque in hæreticos lata abſolvere. Royas *p. 2. de haret. num. 416.* Covarruv. *in cap. Alma Mater p. p. §. 11. num. 15. de ſent. excom.* Barboſ. pluribus aliis relatis, *de poteſt. Epiſ. allegat. 40. num. 51.* Trullench. *lib. p. in Decal. cap. 13. dub. 6. nu. 2.* ubi ſcribit, ſententiam hanc veram eſſe, ac in praxi omninò tenendam, ſervandam eſse. Brancat. *in Epit. Can. verb. Abſolutio ab hæreſi*, & alii quamplures. Veritatem hanc comprobant ea, quę *ſect. praeced.* adduximus, quòd ſub clauſula generali, & conceſſione facultatis abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnę, non veniat facultas abſolvendi ab hæreſi; ſuperaddimus ſolùm Conſtitutionem Gregorii XIII. 37. *Officii noſtri. Nuper ſiquidem accepimus, nonnullos curioſa magis, ac ſubtili, quàm vera interpretatione, prætendere in vim Bullæ Cruciatæ ſanctæ privilegiorum ab eadem Sede conceſſorum eligendi Confeſſores, qui à nonnullis criminibus, & exceſſibus abſolvere poſſint à lapſu, & incurſu in hæreſim abſolvendi facultatem, & auctoritatem, ſaltèm in foro conſcientiæ habere. Nos autem omnem dubitandi occaſionem in præmiſſis removendam eſſe exiſtimantes, ne circa id ullo tempore hæſitari contingat, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia,*

N 2 *fel.*

Digitized by Google

fel. record. Pii Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, aut noſtræ intentionis nunquam fuiſſe, vel eſſe, dictis Confeſſoribus aliquo modo abſolvendi ab incurſu, & lapſu in hæreſim, quòd crimen, uti cæteris graviſſimum, ſpeciali nota eſt dignum facultatem concedere, nec ullam per dictum Concessorem, & nos unquam conceſſam fuiſſe, vel eſſe cenſeri, aut ipſis Confeſſoribus dictorum privilegiorum auctoritate electis abſolutionem impartiri licuiſſe, neque imposterùm licere, aut abſolutiones, quæ jam forſan eo caſu ſub datorum privilegiorum prætextu per Confeſſores impenſas, minimè ſuffragari potuiſſe, ſeu poſſe, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, & declaramus. Attendant Confeſſarii Conſtitut. hujus clauſulas, percipientq; nullo modo praxi demandari poſſe opinionem à principio Sect. relatam. Conceſſionem Bullæ Cruc. interpretari, ut ſe extendat etiam ad abſolutionem ab hæreſi, inquit Summ. Pont. eſſe potiùs amantis ſubtilitatem, & curioſitatem, quàm veritatem; vultq; poſt Conſtitut. hanc, non remanere ampliùs locum dubitandi in hac materia; & rationem aſſignat, quoniam hæreſis crimen, uti cæteris graviſſimum eſt, ſpeciali nota dignum. Declarat mentem Pontif. in conceſſione hujuſmodi Indulgentiarum, ac privileg. non eſſe, nec fuiſſe, concedere facultatem abſolvendi ab hæreſi; non licuiſſe, nec licere imposterùm Confeſſariis abſolvere ab ea, decernens abſolutiones datas in vi Bullæ Cruciatæ nullas eſſe, & invalidas. Quid ulteriùs deſiderari poteſt? Audio quoſdam reſpondere, Pontifices ſucceſſores Gregorii noluiſſe ſilentio ſolo exceptionem hæreſis ſignificare, ſed verbis expreſſis, atque ideò modò ſilentium illud adeò efficax non eſſet ad perſuadendum, ſicut tunc. Sed dicant mihi: Per hoc, quòd in Jubilæis, aut Bulla Cruciatæ addita fuit expreſſa hæreſis exceptio, derogatum ne fuit dictæ Conſtitut. Gregorianæ? Hujuſmodi derogationem non reperio, haud video. Gregorius ipſe ibid. licentiam concedit ſuperaddendi Bullæ Cruciatæ hæreſis exceptionem expreſſam. *Et, ut Chriſtifideles ſupradictæ declarationis commodiùs notitiam habere poſſint, licentiam, & facultatem concedimus Commiſſ. Gen. dictæ Cruciatæ, illam de latino ſermone in vulgari, juxta linguam Provinciæ, ubi publicatio ipſius Cruciatæ facienda erit, redactam unà cum facultatibus dictæ Cruciatæ, & per modum exceptionis, in ſuo loco, ſivè ad partem imprimi poſſe facere, in contrarium facientibus quibuſcumque non obſtantibus.* Contextu iſto voluit ne Gregorius ſuo Decreto derogare? Motivum, propter quod Pontif. ſucceſſores in Jubilæis, & Cruciata hæreſis exceptionem expreſſerunt, illud idem fuit, quod hic à Greg. adducitur, nimirùm, *Ut Chriſtifideles ſupradictæ declarationis notitiam habere poſſint*; hinc, exceptione iſta ablata, adhuc Conſtit. Gregor. ſuum robur obtinet, & ſemper militat ejuſdem ratio, crimen hæreſis, utpotè graviſſimum, eſſe nota ſpeciali dignum; quapropter interpre-

Digitized by Google

terpretatio, quæ fieret modò de conceſſione etiam facultatis abſolvendi ab hæreſi, ſemper erit potiùs curioſa, & ſubtilis, quàm vera. Urban. VIII. pariter in Conſtit. 105. *In ſpecula*, expreſſit, per Bullam Cruciatæ non concedi facultatem abſolvendi ab hæreſi.

Ad argumenta dicimus in Bulla Cruciatæ translata Hiſpano idiomate, etſi non in latino, haberi exceptionem expreſſam hęreſis. Verùm, etiamſi talis exceptio non adeſſet, non per hoc Confeſſarii ab hæreſi abſolvere poſſent, ut diximus. Nec eſt eadem ratio de hæreſi, ac aliis criminibus, illa enim eſt ſpeciali nota digna. Falſum eſt in ſpecialibus conceſſionibus dari facultatem abſolvendi ab hæreſi.

DISCEPTATIO IV.

De Sacrament. Abſolutione Apoſtatarum, Schiſmaticor. Fautor. Hæreticor. ac legentium Libros prohibitos.

APoſtaſia, *receſſus totalis à Fide*; Schiſma, *voluntaria, & pertinax ſubtractio ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis*, ab hæreſi aut non differunt, aut cum ipſa affinitatem habent, ſicuti etiam hæreticorum fautoria, inquiente Tertull. *lib. de praſcript. Perſecutio Martyres facit, hæreſis Apoſtatas tantùm*, & Origene *hom. 9. in Ezech. Ubi Schiſmata, ibi hæreſes, & diſſenſiones eſſe oportet*; quamobrem Bulla Cœnæ in eodem Can. omnia iſta delicta comprehendit.

SECTIO I.

An Confeſſarius quilibet Apoſtatas à Fide abſolvere poſſit?

VIdetur poſſe. *Primò*. Quia Apoſtatæ à fide Hæretici non ſunt formales, propriè, & ſimpliciter. Sylveſt. *v. Hæreſis pr.* 6. 4. Turrecrem. *lib. 4. Sum. de Eccleſ. part. 2. cap. 13.* Serra 2. 2. *qu.* 12. *art. pr.* Nam Sancti Patres, inter quos Auguſt. *lib. 18. de Civit. Dei cap.* 5. illos vocant hęreticos, qui fidem Chriſti profitentur, ſed alicui ejus dogmati reſiſtunt; Apoſtata autem, qui ad Paganiſmum, vel Judaiſmum deflexit, non retinet nomen Chriſtianum, nec Chriſto aſſentire intendit, ſicut requiritur ad hęreſim ex doctrina S. Doctoris 2. 2. *qu.* 9. *art. pr.* Igitur Apoſtatæ à Confeſſario quolibet abſolvi poterunt, cum ſola hæreſis Summo Pontifici reſervata ſit.

Secundò. Quamplures à Catholica Fide totaliter recedunt, ad Paganiſmum, vel Judaiſmum tranſeuntes per vim, metum, dolum, vel fraudem,

dem, ſolùm exteriùs fidem negantes, cordeque illam retinentes. Iſti ſunt veri Apoſtatæ, & tamen, quia errorem non habent in intellectu, à Confeſſario quolibet abſolvi poſſunt, prout ſcripſere Valer. *de differ. utriuſque fori, v. Hæreſis differ. 2. num. p.* Sylvius 2. 2. *qu.* 11. *art.* 3. *concl. p.* Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 143. Carena *p.* 2. *tit.* 4. *num.* 67. & ferè communiter alii.

Tertiò. Apoſtaſia non pertinet ad infidelitatem, nec eſt ipſius ſpecies, ſiquidem non ſpectat ad hæreſim, Judaiſmum, vel Paganiſmum; nec per aliquod jus reſervata videtur.

Reſpondeo: Non quilibet Confeſſarius ab Apoſtaſia abſolvere poteſt, in cujus dicti confirmationem ſequentem diſcurſum ſubnecto. Hæreticus abſolvi nequit, niſi à Summo Pontif. vel Sacro Tribunali Fidei ſatisfecerit, prout ex præhabitis eſt manifeſtum. Apoſtaſia autem, & hæreſis eſſentialiter, ſpecificèq; non diſtinguuntur, at ſolùm ſecundùm magis, & minus, quia Apoſtata totaliter à Fide recedit, qualis fuit Julianus Apoſtata, *Cap. Non poteſt* 2. *qu.* 7. & *cap. Julianus* 11. *qu.* 3. hæreticus verò eſt, qui aliquibus fidei articulis repugnat, & non in totum à fide deviat, *Cap. Non poteſt. cit.* quarè Apoſtaſia tantummodò importat circumſtantiam magis aggravantem intrà eamdem ſpeciem. Pegna *p.* 2. *direct. com.* 74. Repert. Inquiſ. *v. Apoſtata*. Alphonſ. de Caſtr. *de juſt. hæret. punit. lib. p. cap.* 7. Ricciull. *de jure perſon. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. Alter. *de Cenſur. lib.* 5. *diſp.* 2. *cap.* 2. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *in Can. p.* 9. 10. Souſa *eod. tract. cap.* 2. *nu.* 11. Cajet. 2. 2. *qu.* 10. *art. p.* Bannes *qu.* 12. *art. p.* Sylvius *ibid.* quod patere poteſt ex eo, quod Apoſtaſiæ convenit tota hæreſis definitio, eſt enim error pertinax fidei manifeſtè repugnans in eo, qui profeſſus eſt fidem in manifeſtatione veritatis; idemq; eſt objectum formale utriuſque, cùm objectum formale hęreſis, ex Sancto Doctore, ſit renitentia Fidei Chriſtianæ ſuſceptæ in veritatis manifeſtatione; 2. 2. *qu.* 10. *art.* 5. & Apoſtaſia etiam Fidei jam ſuſceptæ renitatur, quod notum fiet explicando quid nominis, & quid rei ipſius. Apoſtaſia ſecundùm nominis ethimologiam, idem eſt, quod retroſtatio, ſeù retroceſſio, & Apoſtata dicitur quaſi retrò ſtans. *Cap. Quidam de Apoſt.* & *Can. Non obſervetis* 26. *qu.* 7. ibi, *Apoſtatam, ideſt retrò abeuntem*. D. Th. 2. 2. *qu.* 12. *art. p.* Thomiſtæ *ibid.* Repert. Inquiſit. *v. Apoſtata*, Locatus *ibid.* & alii. Apoſtato idem eſt, ac deficio, transfugo, rebello, oppugno, quod anteà defendebam. Cypr. *ad Cornell. Eos, qui velut apoſtatæ erdint, & ad ſæculum, cui renunciaverant, reverſi, gentiliter vivunt*. Apoſtata dicitur ab *Apo*, quod eſt *De*, & *Iſtimi*, quod eſt *Siſto*, indè Apoſtata, ideſt deſiſtens, retrò abiens à fide. Fagnan. *Cap. Conſulet de Apoſt.* ex Archid. Sylveſt. & aliis, & de hoc nomine videri etiam poteſt Salonius Vienn. *in explic. Parab. myſtic. Salomonis*, cujus

Digitized by Google

jus ſcripta inſerta ſunt in Biblioth. Patrum. Hinc Auguſt. *ſerm.* 34. *ad Fratres in Eremo*, aſſimilat Apoſtatas uxori Loth, quæ retrò reſpexit. Eſt igitur Apoſtaſia temerarius receſſus à Fide ad aliam Sectam, & Sacri Script. Apoſtatæ nomen uſurpant pro eo, qui à Chriſtiana, & Cath. Relig. ad Ethnicos, Judæoſve tranſeunt. Juſtinus Mart. *in Dial.* Anacletus *ep.* 1. Hermas *lib.* 3. Cypr. *ep.* 17. *&* 58. Neq; officit, quòd hæreſis dicat ſolùm partialem receſſum, apoſtaſia totalem, quia ab eo, quod eſt ſemel ſuſceptum, recedere ſecundùm magis, & minùs, eſſentiam non variat, ſicuti manet ratio prodigalitatis, ſivè quis omnia ſua prodigat, ſivè ſolummodò partem. Excommunicatos eſſe Apoſtatas in Bull. Cœnæ, omnes pœnas à jure in hæreticos latas in iſtis locum habere, docent communiter Doctores. Eymeric. *p.* 2. *direct. q.* 49. Pegna *ibid.* Repert. Inquiſit. *ubi ſupra.* Alter. Duardus, & latè Farinac. *de hæreſi q.* 183. *§.* 2. *à num.* 14. Quo jure ergo à Confeſſario quolibet abſolvi poterunt? Sed demus, Apoſtatas ſub hæreticorum nomine non venire, adhuc Apoſtaſia eſt Summo Pontifici reſervata, annexamq; habet excommunicationem Bull. Cœnæ, ibi, *Et à Chriſtiana Fide Apoſtatas, & ſingulos alios hæreticos, quocumq; nomine cenſeantur*; undè indiſcriminatim à Confeſſariis quibuſcumque apoſtata abſolvi nequit. Caſu tamen, quo inferior Confeſſarius facultatem haberet, vel occaſione articuli, periculive mortis, vel quia ipſi delegata eſſet poteſtas abſolvendi ab Apoſtaſia; ſervare deberet in ejus abſolutione ea, quæ circà praxim adhibendam in hæretico abſolvendo tradidimus. Specialiter admonendus eſt apoſtata de gravitate criminis apoſtaſiæ, quæ pro ſui Auctore, teſte Irenęo *lib. pr.* Simonem Magum cognoſcit, & juxtà Hieronymi placitum *in Coment. Hierem. cap.* 24. eſt gentilitate deterior, ac per ficus malas valdè apud dictum Prophetam ſignificatur.

Ad primum, jam diximus contrà apoſtatas eodem modo procedi, ſicut contrà hæreticos, & præter citatos Doctores, idem docent Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 8. *num.* 13. Azor. *tom. p. Moral. lib.* 8. *cap.* 22. *q. ult.* & apoſtaſiam non diſtingui ab hæreſi eſſentialiter, ac ſpecificè, at tantum accidentaliter. Hæreſis ſimplex, ut accidentaliter ab apoſtaſia differat, profeſſionem Fidei Chriſti requirit; at eſſentialiter, & per ſe loquendo non importat ſolùm partialem receſſum, ſed ſalvatur tùm in partiali, tùm in totali, ut diximus de prodigalitate; & aliàs per ſolam multiplicationem hæreſum, itaut, qui taliter hæreſes multiplicaret, ut à tota fide recederet, deſineret eſſe hæreticus; & tamen per multiplicationem furtorum, aut homicidiorum quis non deſinit eſſe fur, vel homicida. *Ulterius* reſpondetur, quòd etiamſi apoſtaſia eſſet ſpecificè ab hæreſi diſtincta, adhuc in Bulla Cœnæ eſt peculiariter reſervata per illa verba; *Et à Chriſtiana fide apoſtatas*; quæ addita ſunt, nè aliquis crederet,

deret, eos non manere excommunicatos, ea nixus opinione, quæ aſſerit, apoſtatam propriè, & ſimpliciter hæreticum non eſſe. Souſa *in Bulla Cœnæ cap. 2. num. 11.*

Ad ſecundum, ſicut ille, qui verbo, vel facto ſe hæreticum oſtendit, ſed errorem in mente non habet, non excommunicatur in Bulla Cœnæ, D. Anton. *part. 2. tit. 12. cap. 5.* Sylveſt. *v. hæreſis p. §. 9. & v. Apoſtaſia §. 2.* Tabien. *v. Hæreticus num. p.* Bannes 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. Souſa *in Bulla Cœnæ cap. 2. diſp. 5. num. 2.* Dominicus à S. Th. *Cap.* 302. *num.* 4. ità apoſtata ſolùm exterior, & in ſuo intellectu rectè ſentiens; non eſt excommunicatus, ſed à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt, ut docent Scriptores in argumento citati. Sed falſum eſt, talem eſſe verè apoſtatam, cum apoſtaſia requirat, ſicuti hæreſis, errorem mentalem.

Ad tertium, Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 12. *art. p.* probat apoſtaſiam ſimpliciter dictam ad infidelitatem pertinere, cum ſit receſſus à fide; adducens *in argumento, ſed contra* dictum *Joan. 6. Multi diſcipulorum ejus abierunt retrò*, quod eſt apoſtatare, de quibus ſuprà dixerat Dominus: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, ex quo infert, apoſtaſiam ad infidelitatem pertinere. In reſponſ. autem ad tertium inquit. ***Apoſtaſia non importat determinatam ſpeciem infidelitatis, ſed quamdam circumſtantiam aggravantem, ſecundùm illud 2. Petri 2. Melius erat eis, veritatem non cognoſcere, quàm poſt cognitam retroire.*** Videatur Cano *de locis Theol. lib. 12. cap. 9.*

SECTIO II.

An confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Schiſmaticos, ſaltem purè externos.

Videtur, quòd ſic. *Primò:* Schiſmatici, prout tales, hæretici non ſunt; hæreſis enim, & ſchiſma ſunt vitia diverſa, ut indicavit D. Hieronymus *in Epiſt. p. Pauli ad Titum cap.* 3. inquiens, *inter hæreſim, & ſchiſma hoc intereſſe arbitror, quòd hæreſis perverſum dogma habeat; Schiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparat.* Angelicus etiam Doctor. 2. 2. *q.* 39. *art. p. ad* 3. ſcriptum reliquit. *Hæreſis, & Schiſma diſtinguuntur ſecundùm ea, quibus utrumq; per ſe, & directè opponitur. Nam hæreſis per ſe opponitur fidei, ſchiſma autem per ſe opponitur unitati Eccleſiaſticæ charitatis. Et ideò, ſicut Fides, & Charitas ſunt diverſæ virtutes, quamvis quicumq; caret Fide, careat Charitate: ità etiam ſchiſma, & hæreſis ſunt diverſa vitia, quamvis quicumq; eſt hæreticus, ſit etiam ſchiſmaticus, ſed non convertitur.* Dato autem, quòd purè ſchiſmatici heretici non ſint, at ſolùm de hereſi

ſuſpecti

Digitized by Google

ſuſpecti, à quocunq; Confeſſario, ſicuti alii de hæreſi ſuſpecti, abſolvi poterunt.

Secundò. Hæreſis, & Apoſtaſia purè exterior non eſt reſervata in Bulla Cœnæ; ſed quicunq; Confeſſarius approbatus ab illa abſolvere poteſt, ut ex ſuprà probatis ſupponimus. Cur idem de Schiſmate purè externo aſſerendum non erit? cum hæreſis, & ſchiſma dicantur ſorores; & ſchiſma ſit via ad hęreſim; itaut Paloſtinæ Doctor ibidem ſubdat; quòd *Schiſma aliqua in parte in principio poteſt intelligi diverſum ab hæreſi. Cæterùm nullum ſchiſma eſt, quod non ſibi hæreſim aliquam confingat, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur?*

Tertiò. Schiſmatici, qui hęretici non ſunt, excommunicationis vinculo non ligantur, quoniam nec propriè ſchiſmatici ſunt, & ità ſentit Farinac. *de hæreſi q.* 184. *num.* 59. Aliàs excommunicati eſſent, qui tempore ſchiſmatis ſe ab obedientia veri Pontificis ſeparant; aut ab obedientia particularis Epiſcopi recedunt; vel indirectè ab obedientia Eccleſiæ, vel Pontificis ſe eximunt.

Reſpondeo. *Schiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici*, verbis utor Angelici Doctoris, 2. 2. *q.* 39. *art. p. & qui membris Eccleſiæ ei ſubjectis communicare recuſant*; quales fuere Joannes, & Petrus de Columna, de quibus *in Cap. Unic. de ſchiſm. lib.* 6. Epiſcopus Aquileien. *Cap. Quia diligentia, de elect.* Guido, & Octavianus Epiſcopi, *Cap. p. de ſchiſmat.* ſiquidem ſchiſmatis nomen à ſciſſura animorum vocatum eſt, ſciſſio autem unitati opponitur; Undè ſchiſma definitur, quòd ſit illicita diſiunctio, per quam aliquis ſe voluntariè ſeparat ab unitate Eccleſię, inquantum eſt corpus myſticum, conſtat ex univerſis fidelibus, ac Summo Pontifice Chriſti Vicario, ut capite. D. Th. *ubi ſuprà*, Cajet. Bannes, Sylvius, aliiq; ipſius Diſcipuli *ibidem*. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 20. Paſſerin. *Cap. ad ſuccidendos de Apoſtat. in* 6. Turrecrem *in Sum. Eccleſ. lib.* 4. *part. p. cap. p.* Archiepiſc. Florent. *part.* 2. *Sum. cap.* 3. *tit.* 11. Sylveſt. Repert. Inquiſit. & Tabien. *v. Schiſma*. Pręmiſſa hac perbrevi terminorum explicatione, *Dico*, Schiſmaticos per Confeſſarium quemlibet abſolvi non poſſe. Ratio eſt. Schiſmatici, vel ab Eccleſia dividuntur, nedùm quoad obedientiam, verùm etiam quoad credentiam, & cum iſti hęretici ſint, pœnis omnibus ab hæreticis luendis plectuntur, & contrà ipſos, ſicuti contrà hæreticos, proceditur, cum nolint credere determinationibus Eccleſiæ, ut de fide factis. Eymeric. *part.* 2. *Direct. q.* 48. Souſa, *loco cit. num.* 12. & de ſchiſmate hoc loqui videtur Auguſtinus, *lib.* 2. *contrà Creſconium cap.* 7. inquiens. *Proindè quamvis inter ſchiſma, & hæreſim magis eam diſtinctionem approbem, qua dicitur ſchiſma eſſe recens congregationis ex aliqua ſententiarum diverſitate diſſenſio (neq; enim ſchiſma fieri poteſt, niſi diverſum aliquod ſequantur,*

qui faciunt) *hæreſis autem ſchiſma inveteratum*. Vel ſchiſmatici ſunt ab Eccleſia diviſi ſolùm, quoad obedientiam, nullum habentes de credendi errorem in mente, nec de defendendo errorem, pertinaciam in voluntate; de quibus ſermonem habens Chriſtian. Grammat. *Hom. in Cap.* 13. *Matth.* dixit. *Solet autem quæri*, *etiam ſchiſmatici quomodo ab hæreticis differant*, *& hoc inveniri*, *cum ſchiſmaticos non fides diverſa faciat*, *ſed communionis diſrupta ſocietas*; de eiſdem etiam loquebatur Hieron. ſuprà relatus, & habetur *Cap. Inter hęreſim*, *& Schiſma* 24. *q.* 3. Iſti, quamvis hæretici non ſint, adhuc per Confeſſarium quemlibet abſolvi nequeunt, quoniam excommunicati ſunt in Bulla Cœnæ, ibi. *Necnon ſchiſmaticos*, *& eos*, *qui ſe à noſtra*, *& Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt*, *vel recedunt*; per quæ verba excommunicantur ſchiſmatici, qui hæretici non ſunt. Toletus *in Sum. lib. p. cap.* 19. *§. Decimum genus*. Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 2. *diſp.* 18. *num.* 4. Paſſerin. *ubi ſuprà num.* 15. & alii, ſiquidem ſchiſmatici hæretici jam per particulam, *Hęreticos*, excommunicati fuerant; neq, particula, *Schiſmaticos*, addita fuit majoris explicationis gratia, aliàs appoſita fuiſſet juxtà illam, *Hęreticos*, ut factum fuit de iſta, *Apoſtatas*. Schiſmatici non hæretici ſunt propriè ſchiſmatici, cum ab Eccleſia ſe ſeparent, quapropter pœnis ſchiſmaticorum, inter quas eſt excommunicatio, ſubiecti ſunt. Quod verum eſt, etiamſi ſchiſma ſit purè externum. Souſa *diſp.* 19. *nu.* 5. *& lib. p. Aphoriſ. cap.* 20. *nu.* 16. Duard. *lib.* 2. *in Can. p. q.* 56. *num.* 8. Pueron. *cap. p. nu.* 230. Trullench. *in Decal. lib. p. cap.* 3. *dub.* 17. Sanchez. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 14. Paſſerin. *num.* 15. & alii plures; quia ad peccatum ſchiſmatis ſatis eſt actio externa, qua aliquis ſeparatur à Romano Pontifice Eccleſię capite, procedens à voluntate exercendi talem actionem, nec ſchiſma eſſentialiter conſiſtit in mente. Ex his inferunt præfati Scriptores, Catholicos, qui in hęreticorum terris vivunt, ut in Anglia, eſſe verè ſchiſmaticos excommunicatos in Bulla Cœnę, ſi ad Regem, ut ſupremum caput in ſpiritualibus, recurrant, quantumcumq; fictè accedant, ipſum tale caput non eſſe credentes; quia licèt intùs in fide non errent, extrinſecùs tamen ſe ab Eccleſia ſeparant, ideòq; ſunt veri ſchiſmatici, excommunicati in Bulla Cœnę. Non ergo Confeſſarii omnes abſolvere poſſunt ſchiſmaticos extrà mortis articulum, ſecluſiſq; privilegiis, ſed tempore Jubilęi, & ex vi Bullę Cruciatę eiſdem, dummodò cum ſchiſmate conjuncta hęreſis non eſſet, abſolutionem impendere poſſent. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 17. Lupus *part.* 2. *Edicti lib.* 11. *diſt.* 2. *art.* 7. & alii; nam ſola hęreſis ob ejus gravitatem reſervatur. Poteſt etiam Confeſſarius ſchiſmaticos abſolvere, ſi iſti coram Inquiſitore, vel Epiſcopo abjuraverint, ac à cenſura externo in foro fuerint abſoluti. In

caſi-

Digitized by Google

caſibus, in quibus facultatem haberet abſolvendi ipſos, deberet uti praxi à nobis tradita inferiùs pro hæreticorum abſolutione, & admonere deberet pœnitentes de ſchiſmatis gravitate, quam inſinuavit Auguſt. *lib.* 2. *de baptiſ. contrà Donatiſt.* per hęc verba. *Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœna exemplis cavenda monſtravit, & idolum fabricatum, atq; adoratum, eſſet propheticus liber ira Regis contemptoris incenſus, & ſchiſma tentatum; idololatria gladio punita eſt, exuſtio libri bellica cæde, & peregrina captivitate. Schiſma hiatu terræ ſepultis autboribus vivis, & cæteris cœleſti igne conſumptis. Quis jam dubitaverit, hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt gravius vindicatum?* Videri etiam poſſunt Irenæus *lib.* 4. *adverſus hæreſ. cap.* 62. Clem. Rom. *lib.* 6. *Conſtit. cap. p.* Dionyſ. Alex. *apud Euſeb. lib.* 6. *hiſtor. cap.* 37. Monere etiam tenetur Confeſſarius ſchiſmaticum de pœnis contractis, quæ plures ſunt, & de ipſis Paſſerin. *ubi ſuprà*, Delbene latè *dubit.* 48. & alii.

Ad primum ſolutio patet ex dictis. Quamvis plures ſchiſmatici ſint ſolùm de hæreſi ſuſpecti, forſan etiam de levi, & non hæretici; tamen adhuc tale ſchiſma reſervatum eſt in Bulla Cœnæ, quoniam ibi eſt ſermo de ſchiſmate formaliter, prout diſtincto ab hæreſi. Neq; eſt verum, omnes de hæreſi ſuſpectos abſolvi poſſe per Confeſſarium quemlibet.

Ad ſecundum, non eſt eadem ratio de hæreſi, ac de ſchiſmate. Crimen hæreſis eſt in ſui ſubſtantia mentale; ſed ſchiſma eſſentialiter in mentis errore non conſiſtit, at in exteriori actu voluntario, libera videlicet ſeparatione à membris, & capite Eccleſiæ. Eſt enim verus ſchiſmaticus, qui verbis, vel factis ſeſe in Eccleſiam, vel Pontificem rebellem oſtendit. Duardus, Paſſerin. Delbene, & alii ſuprà allegati. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *num.* 70. ubi etiam citat Bonac. *de Cenſur. in ſpecie tom.* 3 *diſp. p. q.* 2. *punct.* 5. *n.* 10. Scort. *in Select. Roman. Pontif. Conſtit. Epit.* 166. *theorem.* 410.

Ad tertium, Tolet. *lib.* 4. *Sum. cap.* 11. *in fine*, Farinac. *q.* 184. *num.* 59. à Paſſerino relatus, aliiq; putant, ſchiſmaticos non hæreticos non comprehendi ſub excommunicatione Bullæ Cœnę, quia puri ſchiſmatici non ſunt propriè, ſed largè ſchiſmatici. At iſti attendendi non ſunt, quoniam intrà propriam lineam ſchiſmatis, quę diverſa eſt à linea hęreſis, dantur ſchiſmatici propriè tales; nec aliquis ſe ab unitate Eccleſię ſeparat, quia ſit hęreticus, & de ſchiſmaticis propriè loquitur Auguſtinus *lib. p. de baptiſm. contrà Donat. cap.* 8. dum inquit. *Quid prodeſt homini, vel ſana fides, vel ſanum fortaſſe ſolum fidei Sacramentum: ubi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis; per cujus ſolius peremptionem, etiam illa integra trahuntur ad mortem?* Siquidem ſchiſma propriè ſtat cum fide, & charitati ſolummodò opponitur, ut etiam do-

Digitized by Google

cet D. Th. *ad* 3. & indicavit Auguſt. *eod. lib. cap.* 11. *An non in ſchiſmate odium fraternum. Quis hoc dixerit, cum & origo, & pertinacia ſchiſmatis nulla ſit alia, niſi odium fraternum?* Videri etiam poteſt *cap.* 14. Ad ea, quę ſubduntur, dicimus, ſchiſmaticum non eſſe, qui in dubio, an aliquis ſit Pontifex, motus ex rationabili motivo, ex ignorantia tamen invincibili, aut probabili proveniente, ſe ab obedientia veri Pontificis ſeparat, & alteri Pontifici, quem legitimum credit, ſe ſubiicit, paratus ſemper obedire, ubi conſtiterit, illum eſſe legitimum Pontificem, quia iſte ſolùm materialiter eſt ſchiſmaticus, & ignorantia illum excuſat, cum deſit pertinacia, & rebellio. Cajet. *v. Schiſma*, Paſſerin. *num.* 11. & alii ab ipſo relati. Neq; ſchiſmatici ſunt, qui ab obedientia particularis Epiſcopi recedunt, dummodò Pontificem, ut caput recognoſcant. Innoc. *in Cap. p. de Schiſmat.* Hoſt. *num. p.* Butr. *num.* 4. Paſſer. *loco cit. num.* 12. Sufficit tamen ad ſchiſma, quòd aliqui etiam indirectè ab Eccleſia recedant, ſeù Pontificis obedientia, ut congregantes Concilium, aut ipſum jam diſſolutum proſequentes. Cajet. 2. 2. *q.* 39. *art. p. ad* 3. Paſſerin. *num.* 9. ad quem Lectorem remitto.

SECTIO III.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit credentes, receptatores, & defenſores hæreticorum?

Videtur poſſe. *Primò*. Qui ſemel, aut bis hæreticorum concionibus interſunt, verè ſunt eorum credentes, ſicut enim, ut aliquis hereticus maneat, ſufficit, ut unicum ſignum externum exhibeat, ſic, ut quis dicatur credens hereticorum, ſufficit, ſemel, aut bis eorum concionibus intereſſe, & tamen tales à Confeſſario quolibet abſolvi poſſunt, nec ſunt excommunicati. Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 2. *diſp.* 8. *à num.* 8. Quamobrem, verum non eſt, ſaltem univerſaliter, credentes hereticorum à Confeſſario quolibet abſolvi non poſſe.

Secundò. Sicut excommunicatur in Bulla Cœnę heretici, ità etiam ſchiſmatici, ut dictum eſt. Schiſmaticorum autem fautores, defenſores, & receptatores, excommunicati non ſunt, & à Confeſſario quolibet abſolvi poſſunt. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 20. *num.* 17. Delbene *dubit.* 48. *ſect.* 3. *num.* 5. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub.* 17. Lupus *part.* 2. *lib.* 11. *diſt.* 2. *art.* 6. *diff.* 2. quamvis ligentur per excommunicationem latam à Paulo IV. in Conſtit. *Cum ex Apoſtolatus officio*, quę non eſt reſervata. Igitur & fautores, & defenſores, ac receptatores hæreticorum per Confeſſarium quemlibet abſolvi poterunt. Quęnam major ratio de iſtis, quàm de illis?

Ter-

Tertiò. Plures ſunt, qui hęreticis favent, non ex motivo hęreſis, ſed affinitatis, conſanguinitatis, vel amicitię, & quatenùs parentes, & amicos, non ut hęreticos, illos receptant. Durum eſſet, quòd iſti ob talem fautoriam, defenſionem, & receptationem eſſent excommunicati excommunicatione Papali, & Summo Pontifici reſervata; quod etiam negant, Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 5. Bonac. *diſp.* 2. *de Cenſur. q.* 5. *punct.* 3. *num.* 2. Bordon. *cap.* 12. *num.* 28. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 21. Azor. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 3. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub.* 9. *nu.* 4. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can. p. q.* 29. *num.* 5. & alii plures.

Reſpondeo, *Credentes* hęreticorum propriè non ſunt, niſi qui mente eorum errores credunt, ſaltem implicitè, & in genere, verbis, vel factis; *verbis*, ſi dicant ipſorum doctrinam eſſe veram, ſi illam, ut veram, laudent, vel extollant, ſi illam tueantur. Paſſerin. *Cap. Ut Officium, el 2. de hæret. in* 6. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *à num.* 76. *Factis*, ſi id agant, quod eſt inſtitutum ad hæreſim ſignificandam, ut ſi ſpeciale ſignum alicujus ſectæ hæreticorum deferant. *Receptator* hæretici nuncupatur, qui ſcienter illum recipit, cauſa occultandi, tuendi illum, vel cavendi eidem, *argum. l. p. & 2. ff. de receptoribus*. *Fautor* hæreticorum eſt, qui in cauſis hæreſis eidem favorem præſtat, ac *Defenſor*, qui, vel hæreticorum errores, aut perſonas defendit. Plura explicanda eſſent circa has materias, pro diverſis caſibus particularibus, in quibus dubitatur, an quis dicatur credens, fautor, defenſor, aut receptator hæreticorum. Verùm non eſt inſtituti noſtri iſta diſcutere, & remittimus Lectorem ad Scriptores, qui diffusè materiam hanc pertractant, nobis ſufficit, qualemcumq; terminorum explicationem tradidiſſe; qua præmiſſa, dicimus, non omnem Confeſſarium abſolvere poſſe credentes, receptatores, fautores, ac defenſores hereticorum; quod dictum eſt commune, quamvis perpauci controverſiam hanc in terminis exagitent. Credentes hæreticorum, propriè loquendo de illis, hęretici ſunt, Eymeric. *part.* 2. *Direct. q.* 50. Pegna *ibidem com.* 75. Suarez *de fide diſp.* 24. *ſect. p. num. p.* Farinac. *q.* 182. *num.* 121. Paſſerin. *in Cap. Filii num.* 17. *de hæret. in* 6. Salelles *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 213. Delbene *p. p. dubit.* 14. *corrol. num.* 3. Defenſores etiam hæreticorum aliquando hæretici ſunt, ut ſi eorum errores defendunt, tunc enim ſunt Hereſiarchæ. Iſti cum hæretici ſint, certum eſt abſolvi non poſſe à Confeſſario quolibet. Sed demus, quòd credentes, fautores, defenſores, receptatores hæreticorum ſint tantùm de hæreſi ſuſpecti, non verò hæretici, adhuc ipſorum crimen reſervatum eſt Summo Pontifici, excommunicatiq; ſunt in Bulla Cœnæ, ibi. *Ac omnes, & ſingulos alios hæreticos, quocumq; nomine cenſeantur, & cujuſcumq; ſectæ exiſtant; ac eorum credentes, receptatores, defenſores &c.* Pœnas etiam omnes, quæ

quæ in jure ſtatutæ ſunt in hæreticos, ad ipſorum credentes extendi, ſcripſere Abbas *in Cap. Excommunicamus el p. de hæret.* Socin. *ibid. nu.* 36. Sylveſt. *v. Hæreſis*, & alii, quos cumulat Sanctarel. *Si inquiras*; Num defenſores, fautores, & receptatores hæreticorum excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant, itaut abſolvi nequeant per Confeſſarium quemlibet, etiam effectu non ſequuto; quia ſcilicet, non obſtante hujuſmodi fautoria, receptatione, ſeù occultatione, hæreticus captus fuit, vel condemnatus? Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 10. *num.* 9. Bonac. & alii apud Dianam *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 21. opinantur, quòd non, ſiquidem excommunicatio iſta primariò, & principaliter fertur in hæreticos, & quaſi acceſſoriè derivatur, ac extenditur ad fautores; ubi autem principaliter aliquis excommunicatur, & acceſſoriè mandantes, faventes, conſulentes, hi cenſuram non incurrunt, effectu conſilii non ſequuto, aut favoris, ſicuti mandans percuti Clericum in excommunicationem non incidit, percuſſione non ſequuta. At aſſerendum eſt, præfatos excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contrà fautores, defenſores, ac receptatores hæreticorum incurrere. Graff. *lib.* 4. *deciſ. cap.* 18. *num.* 34. Suarez *de fide diſp.* 24. *ſect. p. nu.* 14. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *Can. p. q.* 31. *num.* 2. Card. de Lugo *de fide diſp.* 25. *ſect. p. num.* 9. Sayrus *tom. p. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 21. Palaus *tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 5. *nu.* 11. Bordon. *cap.* 12. *nu.* 31. & alii; quia effectus prohibitus, cui annexa eſt cenſura, non eſt omnimoda liberatio hæretici, ſed receptatio, & favor eidem præſtitus; iſte autem effectus completè ponitur in caſu noſtro, etiamſi poſteà hęreticus capiatur, vel condemnetur. In articulo mortis, ex vi Bullę Cruciatę, & ſi Confeſſarius aliquis haberet à Summo Pontifice facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, & Jubilęi tempore, fautores, defenſores, receptatores, ac credentes hęreticorum, ſi hæretici non ſint, per quemlibet Confeſſarium abſolvi poſſent. Fautores ſuſpectorum de hæreſi non ſunt dicta cenſura ligati, quoniam ſuſpecti de hęreſi non veniunt ſub hæreticorum nomine, & ideò non poteſt procedi contrà aliquem, tanquam contrà fautorem hæreticorum, niſi plenè conſtet de hæreſi, cui favor præſtatur. Paſſerin. *in Cap. Ut Officium el* 2. *num* 11. *de hæret. in* 6. ex doctrina Bart. *in l. Is, qui ff. de furt.* Judic. Inquiſit *v. Fautores*. Mandoſ. *ad Repert. Inquiſit. eod. v. lit. H.* Farinac. *q.* 182. *num.* 11. Caſu, quo Confeſſarius præfatos abſolvere poſſet, deberet eiſdem gravitatem criminis proponere, quam indicavit Sacra Scriptura *lib.* 2. *Paralip. cap.* 9. verbis in illis. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia conjungeris, idcircò iram Domini mereris*; necnon Baſilius relatus à Gratiano *in Cap. Qui conſentit* 11. *q.* 3. ibi. *Hinc etiam quidam Sanctiſſimus Pater ait. Si quis peccantem defendit, acriùs, quàm ille, qui peccavit, coerceatur.* Ad

Digitized by Google

Ad primum controvertunt Scriptores, num dici poſſit credens hæreticorum ille, qui bis ipſorum conciones audit. Achidiac. Geminian. Joann. Andr. pluresq; alii Canoniſtę *in Cap. Quicunq; de hæret. in* 6. affirmativam partem tuentur, quoniam ex actu geminato crimen ad conſuetudinem trahi videtur, *l. Nemo, C. de Epiſc. audiem*. At Eymeric. *part*. 2. *Direct. q.* 50. Pegna *ibid.* & alii ſuſtinent non ſufficere ſemel, vel bis audire hæreticorum conciones, ad hoc, ut quis dicatur credens hæreticorum; nam periti Avenionenſes conſilio quodam de hac re edito anno 1235. dixerunt. *Similiter eos dicimus credentes, qui frequenter viſitantes Valdenſes, vel prædicationem eorum audientes.* Verùm prudenter Paſſerin. *ubi ſuprà, num* 9. admonet eſſe arguendum, an aliquis ſit credens hęreticorum, in hoc caſu ex circumſtantiis, ſi tales ſint, ut illis ſpectatis per ſe ſignificetur, quòd audiens conciones hæreticorum id faciat ex affectione, & fide, quam habet ad illorum dogmata. Si ex circumſtantiis cognoſcatur, audientem hæreticorum conciones eſſe credentem hęreticorum, abſolvi non poterit; ſecùs à quolibet Confeſſario abſolutionem poterit obtinere.

Ad ſecundum, non eſt eadem ratio de fautoribus hæreticorum, & de fautoribus ſchiſmaticorum, quia in Bulla Cœnæ non exprimuntur fautores Schiſmaticorum, ſicuti fautores, receptatores, ac defenſores hæreticorum, & in pœnalibus ad non expreſſa extenſio non fit. Tempore tamen Cajetani, in Bulla Cœnæ excommunicabantur etiam fautores Schiſmaticorum per hæc verba. *Aut in eiſdem conſilium, auxilium, vel favorem præſtare non verentur.* Cajet. *in ſumm. v. Excommunicatio cap.* 7. Excommunicatio lata contrà facientes aliquid non extenditur ad adjuvantes, mandantes, conſulentes, faventes, & defendentes, niſi de illis fiat expreſſa mentio. Cajet. *v. Excommunicatio ferè in princip.* Navar. *in ſum. cap.* 27. *num.* 31. Sylveſt. *v. Excommunicatio ult.* Tabien. *ibid.* 4. *caſ.* 49. *num. fin.* Armilla *num.* 2. & alii, quos refert Delbene *dubit.* 48. *ſect.* 3. *num.* 6.

Ad tertium, non levis eſt difficultas inter Scriptores, *Num* fautorum hæreticorum nomine veniant illi, qui hæreticis favent, non ex directa intentione favendi hæreſi, ſed titulo conſanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ, quibuſdam id negantibus, Sanch. *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *nu.* 5. Bonac. ut cœteros omittam; aliis affirmantibus. Gloſ. *in cap. Excommunicamus, el p. §. Credentes de hæret:* Joann. Andr. *nu* 28. *in fin.* Marian. Soccin. *nu.* 75. Zabarel. *nu.* 5. Judic. Inquiſit. *v. Receptatio*. Royas *ſingul.* 171. *num.* 4. & alii plures. Pro nunc dicimus, ſatis probabilem eſse ſententiam illorum, qui dicunt, in foro conſcientiæ excommunicatum non eſse illum, qui ex motivo ſanguinis, vel amicitiæ, aut alio, quod non ſit hereſis, hæreticum receptat; Undè Confeſsarius quilibet il-

lum

lum abſolvere poterit. An autem ſit excommunicatus in foro externo, & in hoc foro pœnas fautorum incurrat, alicubi diſcutietur, *&* *diſcept. p. ſect.* 15. in affirmantem partem inclinavimus, quod intelligendum eſt, dummodò actio externa receptationis, defenſionis &c. per ſe, & proximè, vel ex operis natura, vel aliqua ex circumſtantia, hęreſi faveat. Videatur Paſſerin. *in cap. Ut. Officium à num.* 14. *de hæret. in* 6.

SECTIO IV.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit Laycos cognoſcentes de crimine ſuſpicionis hæreſis?

Videtur poſse. *Primò*, quia etſi per Sacros Canones anathemate feriantur Layci ſe ſe in cauſis S. Officii ingerentes, tamen expreſsè loquuntur de cauſis hæreſis, ut patet *ex cap. Ut Inquiſitionis negotium de hæret. in* 6. *§. Prohibemus*, ibi, *Ne ipſi de hoc crimine cognoſcant*, videlicet de crimine hæreſis, de quo ſermonem habet contextus; nec non *Conſtit. Licet à diverſis* Julii III. verbis in illis, *Neque ſe in hæreſis crimine cognoſcendo &c.* Nuſquam autem fit mentio de delictis ſuſpicionis hęreſis. Cum igitur pœnalis lex extendenda non ſit. *Cap. Odia de regul. jur. in* 6. excommunicatioque pœnarum ſit maxima, dicendum eſt, per dicta jura non excommunicari Laycos de crimine ſuſpicionis hęreſis cognoſcentes, ac proindè per Confeſsarium quemlibet abſolvi poſſe.

Secundò. Quia etiam dato, excommunicationem latam à Bonifacio VIII. Julioque III. præfatis in Conſtitut. ad delicta ſuſpicionis hæreſis extendi poſse; tamen cum nulli reſervata ſit, & duntaxat dicatur. *Excommunicatione ſe noverit mucrone percuſſum*, quę ſunt verba *dicti cap. Ut Inquiſitionis negotium*, Layci de ſuſpicione hæreſis judicantes per Confeſsarium quemlibet approbatum abſolutionem obtinere valebunt.

Tertiò. Si Judices, Principeſque Layci de crimine ſuſpicionis hæreſis cognoſcentes quolibet à Confeſsario abſolutionem obtinere non poſsent, maximè, quia in excommunicationem latam *in Can.* 17. *Bullæ Cœnæ*, contra Eccleſiaſticam juriſdictionem uſurpantes, inciderent, quod tamen eſt falſum; quandoquidem Bulla Cœnæ de juriſdictione Eccleſiaſtica temporali, de qua etiam ſola loquitur Tridentinum, intelligi debet, ut optimè Alterius, *in explicatione dicti Canonis de Cenſuris*.

Reſpondeo: Certum eſse, Laycos de hæreſis crimine cognoſcentes,

tes, abſolvi non poſse per Confeſsarium quemlibet, ſed ſolummodò à Summo Pontifice, vel eo, cui ipſe facultatem abſolvendi delegaverit. Etenim in *cap. Ut Inquiſitionis negot. de hæret. in 6.* Laycis interdicitur de hæreſi cognoſcere ſub excommunicationis pœna. Attendantur Summi Pontificis Bonifacii VIII. verba, *Prohibemus quoque diſtrictiùs poteſtatibus, dominis temporalibus, & rectoribus, eorumque Officialibus ſupradictis, ne ipſi de hoc crimine (cum merè ſit Eccleſiaſticum) quoquo modo cognoſcant, vel judicent, ſivè captos pro eodem crimine abſque dictorum Epiſcoporum, ſivè Inquiſitorum, aut ſaltem alterius eorundem licentia, vel mandato, à carcere liberent &c.* Et paulò poſt. *Si quis verò de prædictis poteſtatibus &c. contra prædicta fecerit, aut præfato fidei negotio ſe præfatis Diœceſano Epiſcopo, vel Inquiſitoribus incumbenti, ſe opponere fortè præſumpſerit, vel ipſum aliquatenùs impedire, nec non, & qui ſcienter in prædictis dederit auxilium, conſilium, vel favorem excommunicationis ſe noverit mucrone percuſſum: quam, ſi per annum animo ſuſtinuerit pertinaci, extunc, velut hæreticus condemnetur.* Audiamus etiam Julium III. *in Conſtitut. Licet à diverſis*, quæ habetur in fine Direct. Inquiſit. Sequentia tradit Summus Pontifex. *Sæculi poteſtates, dominos temporales, ac Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & Locorum Rectores ſupradictos, nec non quaſcumque alias Sæculares perſonas tàm privatas, quàm publico quovis munere fungentes, requirimus, & monemus, ac eis Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri (cujus vices, licèt immeriti, gerimus in terris) nomine præcipimus, ne Diœceſanos Epiſcopos, & Inquiſitores ipſos in ſuo inquiſitionis negotio ullo modo impediant, ſeù perturbent, neque ſe in hæreſis crimine cognoſcendo, vel judicando, quovis etiam aſſiſtentiæ, vel favoris colore, cauſa, vel occaſione, niſi quatenùs ab ipſis Diœceſanis Epiſcopis, aut Inquiſitoribus, ſpontanea, & libera eorum voluntate fuerint requiſiti, ſe ingerant, ordinationes, proviſiones, & leges quaſcumque de ipſius criminis cognitione latas Sacris Canonibus obſiſtentes, & Eccleſiaſticam juriſdictionem impedientes, ſine mora abrogent, & deleant &c.* Addit pœnam excommunicationis in contravenientes, abſolutionemq; ſibi reſervat, inquiens, *Itaut nemo unquam in præmiſſis delinquens, niſi à nobis, & ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus, etiam prætextu quarumcumque facultatum, conceſſionum, & gratiarum etiam confeſſionalium nuncupatarum, etiam à nobis, & à dicta Sede hactenùs emanatarum, vel impoſterùm emanandarum; ſpecificam, & expreſſam, ac aliàs, quàm per verba generalia, de præſentibus litteris noſtris mentionem non facientium, præter quàm in mortis diſcrimine, abſolvi poſſit.* Videri poſsunt Clarus *in pract. crim. §. hæreſis num. 4.* Simanc. *de Cath. inſtit. tit. 36. num. pr.* Scaccia *de Jud. cap. 15. num. 2.* Delbene *dubit. 196.* & alii. Et hæc vera ſunt, etiamſi Sæcularis dumtaxat indirectè, ac incidenter de hæreſi

P cogno-

cognoſceret. Farinac. *de hæreſi qu.*186. *num.*54. Gloſ. *in dict. cap. Ut Inquiſitionis negotium*, quæ explicans particulam illam, *quoquo modo*, inquit, *id eſt principaliter*, *vel incidenter*; *concord. ſup. de ord. cog. Tuam.* Sed dicta jura, nedum de crimine hereſis formalis, verum etiam de ſuſpicione hæreſis intelliguntur; & veritate gaudent. Non obſcurè Paſſerin. *in c. Ut Inquiſitionis à n.*28. *de heret. in* 6. ubi docet ſub delicto hereſis venire omne crimen ſapiens hereſim, vel inducens hereſis ſuſpicionem, omniaq; dicta, vel facta hereſis ſuſpicionem inducentia ad Judices fidei privativè, quoad Laycos pertinere, & ibi teſtatur de communi. Moura *de Enſal. opuſc.* 1. *ſect.* 3. *c. p. n.* 33. ubi docet, §. *Prohibemus*, de quo ſupra, extendi etiam ad delicta ſuſpicionis hereſis, per has voces, *Quod autem non intelligatur de ſolis formaliter hæreticis; ſed de quibuſvis etiam ſuſpectis de hereſi, patet, quia ampliat ad fautores, & ſimiles. Et in ſpecie, quòd comprehendat etiam alia dicta, vel facta hereſim ſapientia, patet ex Eymeric.* 2. *p. q.* 46. *preſertim n.* 5. & 10. (*ubi tàm de invocatoribus Demonum, quàm de blaſphemis hereticalibus*) *tùm quia opus, vel dictum ſuſpectum de hereſi manifeſtè, facienſque operantem, vel dicentem ſuſpectum de vehementi, indubitanter reponit rem in cauſa, & judicio hæreſis, tùm quia facilè indè poteſt ſuſpectus convinci, quòd ſit formaliter hereticus*. Hæc ipſe. Perbellè Paſſerinus *in cap. Accuſatus de heret. in* 6. *num.* 352. quod probat, quia illius ſolius Judicis eſt cognoſcere de ſuſpicione delicti, ſeù de delicto præſumpto, cujus eſt cognoſcere de vero delicto. *Nam, & ad quid Judex cognoſcet de delicto præſumpto, ſi etiam dato, quòd inveniat ſuſpicionem, & preſumptionem delicti eſſe veram, non poſſit delinquentem punire?* Dicimus nos, præfata vera eſſe etiam de ſuſpicione levi, in quorum omnium comprobationem ſic diſcurrimus. Cauſæ ſuſpicionis etiam levis, furti, ad furti cauſas pertinent, & ſic de aliis, cum ejuſdem Judicis ſit de inditiis, & de crimine cognoſcere. Igitur cauſæ ſuſpicionis, etiam levis hæreſis, ad hæreſis cauſas attinere dicuntur; nec immeritò ſiquidem ſuſpectus, leviter etiam, de hæreſi præſumitur hæreticus, uti ſuſpectus de fùrto fur, quapropter ſuper intentione interrogatur, & torquetùr, ad diſquirendum, num hæreticus formalis ſit, ſique malam credulitatem neget, hæreticorum pœnis non punitur, ſed aliis, juxtà delicti qualitatem mulctatur, tamen per Judices *Sacri* Tribun. Fidei, ſicuti ſancivit Clemens IV. & habetur *in cap. Ut officium Inquiſitionis, de hæret. in* 6. ibi. *Nec non contrà infamatos de hæreſi, vel ſuſpectos juxtà Canonicas Sanctiones* (*hominum metu, Divinoque timore poſtpoſito*) *procedatis*, & deducitur *ex cap. Accuſatus eod. tit. & lib.* verbis in illis: *Si autem levis, & modica ſuſpicio illa fuerit* (*quamquam ex hoc ſit graviùs puniendus*) *non tamen debet in hereſim relapſorum pœna puniri*, ubi ſupponitur, cognitionem ſuſpicionis, etiam levis ad Judices fidei

ſpectare,

Digitized by Google

ſpectare, quæ autem commiſſa ſunt Inquiſitoribus demandata ſunt eiſdem privativè, quoad Laycos. Scaccia *de Judiç. lib. p. cap.* 12. *num.* 53. Carena *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 147. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 10. Bordon. *de Sac. Trib. cap.* 18. *num.* 49. Paſſerin. *ubiſupra num.* 357. & alii plures. Quamobrem excommunicationem contentam *in cap. Ut Inquiſitionis negotium*, *& Conſtit. Licèt à diverſis*, Julii III. incurrunt Layci cognoſcentes de criminibus annexam habentibus ſuſpicionem hæreſis, ſivè cognoſcant directè, & principaliter, ſivè indirectè, & incidenter, prohibetur namque ipſis quoquo modo de hujuſmodi delictis cognoſcere; Cumque dicta excommunicatio Summo Pontifici reſervata ſit, ut vidimus, abſolvi non poterunt à Confeſſario quolibet, ſed ſolùm per illum, cui à Summo Pontifice facultas abſolvendi conceſſa fuerit. *Ex his* deducimus *primò*, anathematis gladio vulneratos eſſe Laycos ſe ſe in cognitione ſortilegiorum, etiam ſimplicium, ingerentes; quandoquidem de jure noviſſimo poſt Bullam *Cœli, & Terræ* Sixti V. ſortilegia ſimplicia non ſunt mixti fori, ſed ad Inquiſitores, privativè, quoad Laycos, attinent, ut docent mox relati Scriptores, aliique apud Dianam; quia in omni ſubeſt Dæmonis invocatio, ſi non expreſſa, ſaltem tacita, pactumque cùm Dæmone, ad minùs ſociale, intrinſecum amicitiæ Dæmonis, ejuſque invocationi. Paſſerin. *in cap. Accuſatus*, *§. Sanè* 128. *de hæret. in* 6. qui *num.* 169. chartæ committit, omne ſortilegium ſapere hæreſim, *& num.* 345. plures ad hoc allegat; Demùm *num.* 357. oſtendit, cognitionem ſortilegiorum non qualificatorum Inquiſitoribus demandatam eſſe ratione hæreſis, ſuſpicioniſvè illius, ex verbis ejuſdem Conſtit. ibi. *Aliiſque ſortilegiis, & ſuperſtitionibus, non ſine Dæmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione operam dare.* Et infrà. *Quòd Dæmonum præſtigiis, ac dolis, tùm, qui divinant, tùm, qui divinationem expetunt illuſi, ac deluſi miſerrimè recipiuntur.* Conſtat enim ex his, Sixtum V. reſpexiſſe etiam ad ſortilegia, quæ tacitam, occultamq; Dæmonis invocationem, atque amicitiam continent; eo quia hæc, vel tacita invocatio, amicitiavè cum Dæmone fidei hoſte, divinitatem, cultumvè divinum affectante, fidei contraria ſit, ſuſpicionemq; aliquam hæreſis ſecum ferat. Expreſſiùs adhuc Urban. VIII. *Conſtit. Inſcrutabilis*, in qua priùs Conſtitutionem Sixti V. ſummatim refert §. 1. deinceps §. 2. eandem confirmat, ac innovat; inſuper pœnas ſtatuit in conſulentes Aſtrologos judiciarios pro Reipublicæ Chriſtianæ ſtatu, vita, mortevè Rom. Pontif. hujuſque conſanguineorum uſque ad tertium gradum, §. 3. & 4. Demùm in §. 5. ſtatuit, hujuſmodi cauſarum cognitionem ad Eccleſiaſticos privativè ſpectare, per hæc verba, *Privativè quoad omnes, etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitùs excluſis, ad Ordinarios locorum, ubilibet verò locorum, etiam ad*

P 2 *hære-*

Digitized by Google

hæreticæ pravitatis Inquiſitores ſpectare volumus. *Infertur ſecundò*, abſolvi non poſſe, niſi per Summum Pontificem, vel ejus ſpecialiter ad hoc delegatum, Laycum cognoſcentem de furto Pixidis cum ſacris formis; etenim delictum iſtud ſecum fert hæreſis ſuſpicionem. Marius Ital. *de immun. lib. p. cap. 5. §. 3. num.* 88. Farinac. *in append. de immun. num.* 207. ubi inquit, *quòd ſi aliquis ita nefarius reperiatur, qui Pixidem, ſeù vas, in quo Sacroſancta ſervatur Eucharistia, ſurripuerit, & tunc abſque dubio immunitate Eccleſiaſtica non gaudebit, indèque extrahi, & Curię Sęculari tradi. Tùm, quia de hęreſi ſuſpectus eſt; Tùm, quia Divinę Majeſtatis reus, & offenſor dicitur, ut per eundem Mar. Ital. dicto §. 3. num. 68. & ſeq. cujus opinioni me libenter ſubſcribo*. Quòd talis fuſſit de hæreſi ſuſpectus, ſuaderi poteſt. Nam tanta eſt reverentia, quam Fideles habent Sacramento Euchariſtiæ, ut præſumi nequeat, rectè ſentientem de Auguſtiſſimo Sacramento induci poſſe ad iſtud ſacrilegiorum maximum furandi Pixidem cum ſacris formis, indèque præſumitur, illum, qui tàm nepharius eſt, ut dictum facinus patrare non vereatur, de Sacramento Euchariſtiæ non rectè ſentire, & de hæreſi ſuſpectum eſſe, vel hæreticum. *Item*. Cuſtodia Hoſtiæ conſecratæ eſt Catholicæ Religionis ſignum proteſtativum, diſtinctivumq; ejuſdem ab aliis; Sectæ ſiquidem hæreticorum, vel præſentiam realem Corporis Chriſti in ſacra forma omninò denegant, aut illam ſolo in actuali uſu, atque ſumptione concedunt. Cur ergò ſuſpectus de hæreſi non erit ſacrilegus circa Sacram Euchariſtiam in Cuſtodia? *Inſuper*. Quotidiè edocemur, nepharios homines, qui Sacr. Euchariſtiam furantur, ipſa abuti ad ſortilegia, alioſq; uſus nepharios, ideoq; formatur argumentum à communiter accidentibus, atq; præſumptio, quòd fur Pixidis cum ſacris formis ipſis abuti velit ad ſortilegia, alioſque uſus impios, ſicuti etiam cavetur *in cap. ſtatuimus, de Cuſt. Euch.* ubi referuntur verba Innoc. III. *Statuimus, ut in cunctis Eccleſiis Chriſma, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, conſerventur: Ne poſſit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda.* Quæ verba à quampluribus Canoniſtis explicantur de ſortilegiis, ad quæ conficienda furantes Euchariſtiam ipſis Particulis, & Hoſtia abutuntur, tuncq; ſortilegium hæreticale eſt. Carena pluribus relatis *p. 2. tit. 12. nu. 23. 32. & ſeq.* Nec eſt eadem ratio de furante Pixidem, & de occidente hominem cum ſclopo, ſuper quo ſortilegium aliquod factum fuerit, quia in caſu homicidii ſortilegium ſe habuit, ut medium, & homicidium, tamquam finis principaliter intentus; in furto autem Pixidis, furtum non eſt finis, ſed præſumitur, quòd talis ad furtum proceſſerit ſolummodò ex mala intentione, & credulitate circa Sanctiſs. Sacramentum. Si dicas, furtum Pixidis cum Particulis conſecra-

tis

Digitized by Google

tis eſſe ſacrilegium, juxtà doctrinam Angel. Doct. 2.2. qu.99. art. 3. inquientis, *Similiter, & tertia ſpecies ſacrilegii, quæ circa res alias ſacras committitur, diverſos habet gradus ſecundùm differentiam rerum ſacrarum; inter quas ſummum locum obtinent ipſa Sacramenta, quibus homo ſanctificatur, quorum præcipuum eſt Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipſum Chriſtum. Et ideò ſacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, graviſſimum eſt inter omnia.* Sacrilegium autem eſt mixti fori. Mantua conſ. 266 num. 80. & alii communiter. Quinimò Clarus in pract. crim. qu. 37 num. 6. ſcribit, ſpectare ad Laycum, non ad Eccleſiaſticum Judicem. Hoc non obſtat, quoniam, etſi ſacrilegium ex formali, præciſaque ſacrilegii ratione poſſit concedi mixti fori, tamen ratione alicujus qualitatis annexæ induere poteſt rationem criminis merè Eccleſiaſtici. Furtum Pixidis cum Particulis conſecratis ſupra genericam rationem ſacrilegii addit ſuſpicionem hæreſis, quæ ipſum facit de juriſdictione Sacri Tribunalis Fidei, Judiciſque Eccleſiaſtici, & Doctores citati de ſacrilegio ſimplici, non de qualificato, ob hæreſis ſuſpicionem, ſermonem habent. Colligitur *tertiò*, excommunicatos eſſe Laycos cognoſcentes de blaſphemia hæreticali; quoniam blaſphemus hæreticalis, ſi hæreticus non ſit, ſaltèm de hæreſi ſuſpectus eſt, Decian. *tr. crim. lib.6. cap.3. num.4.* Farinac. *de delictis, & pœnis q.20. num.4.* Lazar. *de blaſph. num.17.* ex Genuenſi *cap.68. num.8.* Bordon. *cap.26. qu.10.* Souſa *lib. pr. Aphoriſ. cap.19. nu.18.* Locatus *v. Blaſphemia.* Eymeric. *in Direct. p.2. qu.41.* Paſſerin. *in cap. Ut Inquiſitionis de hæret. in 6. nu.227.* & alii. Undè hujuſmodi blaſphemias hæreticales ad Inquiſitores, privativè quoad Laycos, ratione ſuſpicionis hæreſis, pertinere, ſcripſere Simanch. *de Cath. Inſtit. tit.8.* Albertin. *de agnoſc. q.6 nu.24. & q.22 num.63.* Sanctarel. *de blaſph. cap.8. dub.p.* Lorca *in 2.2. q.15. art.2. diſp.51. num.10.* Armendar. *in addit. ad recopilat. leg. Navarræ lib.5. tit.4. l. unic. de blaſph.* Scaccia *de Jud. lib.p. cap.12. nu.56.* Barboſa *de offic. Epiſc. tom.3. allegat.51. num. 89.* Capiblanc. *de poteſt. Baronum pragmat.8. part. pr. num.96.* ubi dicit, quòd collaterale conſilium blaſphemiarum hæreticalium cognitionem Eccleſiaſtico Judici remittit. Salelles *tom.p. reg.139.* Lupus *in Edicto S. Inquiſ. part.4. lib.23. diſt.3. art.2. diffic.p.* Fragoſ. *part.p. lib.2. diſput.4. §.5. num.6.* Carena *part.2. tit.7. nu.13.* Bordonus *loco cit.* Riccius *in praxi aurea reſol. 9. num.2.* Farinac. *de hæreſi q.178. nu.76.* Filiuc. *tom.2. tract. 25. cap.p. quæſ.10. num.35.* Delbene *part.2. dubit.218. ſect.15.* & alii. Ratio eſt, quia blaſphemia hæreticalis ſignificat, & continet errorem contrà fidem, ideòq; illam proferens eſt ſaltem de hęreſi ſuſpectus. Inter hęreticales blaſphemias connumerantur ſequentes. *Potta di Dio, Putana della Vergine, Putanà di noſtra Donna, Putana della Madonna, Al dipetto di Dio, Rinego Dio, Chriſto, i Sacramenti, Voglio far*

Digitized by Google

latal coſ., *voglia*, *non voglia Dio*, *Dio non ſi ricorda di me*, *Dio ingiuſto*, *traditore*, *partiale*, *becco*, *parteſano*. Videatur Bordonus *qu.* 3. Carena *part.* 2. *tit.* 7. Delbene *in Corol. ſect.* 15. Hæreticales etiam ſunt iſtę. *Deus non eſt omnipotens*, *non curat hæc inferiora*, *non habet providentiam*; omneſq; in quibus dubitatur de iis, quæ Deo conveniunt, & per modum indicativi aſſeritur, *Deum eſſe ignominiæ*, *convitii*, *vel irriſionis capacem*. Intrà numerum hæreticalium ſunt blaſphemiæ ſub conditione de futuro, ut *Deus non eſt Deus*, *ſi non facit hoc miraculum*; *Deus eſt injuſtus*, *ſi hunc non caſtigat*; *Renego Deum*, *niſi te percutiam*. Covaru. *de pactis p. p. §.* 7. *num.* 9. *verſ.* 2. Corduba *in ſum. q.* 61. Ludovicus Lopez *p. p. inſtruct. cap.* 282. *verſ.* 6. Royas *de hæret. part.* 2. *num.* 173. Sanghez *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 24. Mazuchell. *diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 29. Bordon. *cap.* 26. *num.* 11. Delbene *dub.* 218. *ſect.* 4. *num* 36. & alii plures; quando quidem ſic includitur tacita affirmatio negandæ fidei, omnipotentiæ, & juſtitiæ divinæ, in eventu, quo non ſequatur veritas illius rei, quam ille talis affirmat. Nec obſtat, conditionalem nihil ponere in eſſe; quandoquidem etiam in actu conditionali adeſt voluntas de præſenti. *L.* 2. *ubi Gloſ. ff. de contr. empt.* Royas *num.* 174. Si ergò Layci de hujuſmodi blaſphemiis hæreticalibus cognoſcant, per Confeſſarium quemlibet abſolvi non poterunt; at ſolùm per Summum Pontificem, vel hujus ſpecialem delegatum. Deducitur *quartò*, Laycos de crimine Polygamiæ judicantes in excommunicationem prædictam, de qua in Conſtit. *Licet à diverſis* Julii III. incidere. Nam Polygamia eſt delictum annexam habens hæreſis ſuſpicionem. Farinac. *de hæreſ. q.* 178. *num.* 71. Narbona *lib.* 4. *part. p. tit. p. lib.* 20. *Gloſ.* 12. *nu.* 66. Traſmiera *de Polygam. lib.* 3. *q.* 1. Carena *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 20. Bordonus *cap.* 22. *num.* 63. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 35. *num.* 3. Albertin. *nu.* 49. 55. *& ſeq. nu. etiam* 60. *&* 66. Gom. *ad l. Tauri* 80. *num.* 7. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 4. *tract.* 7. Hurtad. *tract.* 5. *cap.* 2. *reſol.* 4. *num.* 34. Paſſerin. *in Cap. Ut Inquiſitionis de hæret. in* 6. *num.* 144. Et ſuffragantur omnes, qui aſſerunt, cognitionem Polygamiæ ad Inquiſitores ſpectare privativè. Scaccia *de Jud. lib. p. cap.* 12. *nu.* 55. Campanil. *in diverſ. Jur. rubr. p. n.* 46. Canter. *in quæſt. Crimin. cap.* 4. *de adult. nu.* 49. Freytas *in addit. ad Acugnam cap.* 1. *nu.* 32. Bobadill. *in polit. lib.* 2. *cap.* 17. *nu.* 152. Barboſ. *de poteſt. Epiſ. part.* 2. *alleg.* 40. *nu.* 44. Salelles *lib. p. reg.* 139. Royas *ſingul.* 98. *nu.* 4. & apud ipſum Domin. & Francus *in Cap. Accuſatus §. Sanè de hæret. in* 6. Bald. *in l.* 3. *C. de Sum. Trin.* & ibi Paulus de Caſtro. Squillac. *de Fid. Cath. cap.* 15. Alphonſi de Caſtro *lib. p. de juſt. hæret. punit.* Bordonus, & omnes ſuprà relati. Ratio eſt, quoniam Polygamus præſumitur malè ſentire de Sacramento Matrimonii, & tenere, licitum eſſe plures uxores ſimul ducere, juxtà hæreſim Anabaptiſtarum, Lutheri

ri, & aliorum Hæreticorum, ſactoq; impugnat id, quod definivit Conc. Trid. ſeſſ. 24. Can. 2. verbis in illis. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & nulla lege divina eſſe probibitum, anathema ſit.* Quamobrem Polygamia eſt factum hæreticale, directè contrarium Sacramento Matrimonii, quod eſt uniuscum una legitima conjunctio, juxtà Sac. Scripturam, *Matth.* 19. *Gen.* 2. *Adhærebit uxori, & erunt duo in carne una.* Una coſta fuit in unam, non in plures mulieres converſa. *Cap. Gaudemus, de divort. Cap. Debitum de bigamis, & Cap. p. de voto lib.* 6. Plures ſimul uxores ducere eſt Fidei Chriſtianæ injurioſum, *dict. Cap. Gaudemus*, necnon factis aliter ſentire de Sacramento, quàm Eccleſia ſentiat, aut doceat. Trident. *ubi ſuprà*; Qui verò malè ſentit de Sacramento, nimirum aliter, quàm Eccleſia ſentiat, prædicet, & obſervet, hæreticus eſt. *Cap. Ad abolendam, de hæreſ.* Et plus eſt factis animum demonſtrare, quàm verbis. *L. Si tamen, §. Ei, qui, ff. de edic. edi. Cap. Dilecti, de appellat. l. Paulus ff. rem rat. habere.* Neviza. *in Sylva Nupt. lib.* 6. *num.* 16. Thomas Grammat. *conſil. crim.* 12. *num.* 3 Paſſerin. *in Cap. Quicumq; num.* 7. *de hæret. in* 6. ſiquidem facta magis, quàm verba, hominis animum, voluntatemq; declarant. Traſmiera *de Polygam. lib.* 2. *q.* 2. *num.* 24. pluribus aliis relatis. Nec ſuffragatur, quòd ſecundam uxorem non cognoverit carnaliter, quia Matrimonium ad ſui eſſentiam non requirit copulam. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 35. *num.* 5. Farinac. *q.* 140. *num.* 24. & 30. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſolut.* 4. Hurtad. *tract.* 5. *cap.* 2. *reſol.* 4. *nu.* 34. Angelicus Doctor 3. *p. q.* 29. *art.* 2. & ibidem Theologi. Vel quòd Matrimonium ſit invalidum, quia uxor erat conſanguinea, Monialis profeſſa, aliovè impedimento detenta; Non enim puniunt Judices fidei Polygamum tantùm propter effectum, validitatemq; Matrimonii, ſed etiam propter affectum. Palaus *tract.* 4. *diſp.* 9. *punct. ult.* §. 8. *num. p.* Hurtad. *tract.* 5. *cap.* 2. *reſol.* 4. *nu.* 34 aliiq; plures; & Polygamus ſimulat Sacramentum ſuam ad libidinem explendam. *Sequitur quintò*: Laycum non poſſe de crimine deturpantium, ac conſpurcantium Imagines Sacras cognoſcere, abſq; dictæ cenſuræ incurſu, cum & delictum iſtud ſecum ferat hæreſis ſuſpicionem. Alphonſus de Caſtro, *de juſt. hæret. punit. lib. p. cap.* 12. & 15. Genuenſ. *in praxi Archiepiſ. Neapol. cap.* 18. *nu.* 11. & *in addit. num.* 17. Zanard. *in Sum. Divin. Præcept. cap.* 64. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 38. Bordonus *cap.* 25. *nu.* 25. Souſa *lib.* 2. *Aphoriſ. cap.* 42. *num.* 14. ſcribens. *Qui Imaginem Chriſti, Deiparæ, ac Sanctorum, data opera percutit, vulnerat, deturpat, ſpurcat, lapidem in eam jacit, vel ſimilia facit, violentam hæreſis ſuſpicionem incurrit: hoc enim factum manifeſtam hæreſim ſapit, & rarò, vel nunquam invenitur ab hæreſi ſeparatum.* Caſtro *de juſt. hæret. punit. cap.* 15. Simanch. Cathol. *tit.* 33. *num.* 18.

Fari-

Digitized by Google

Farinac. *tom. p. q.* 20. *num.* 68. Hæc Souſa, Raphael de Turri 2. 2 *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 2. Delrius *diſquiſ. Magic. lib.* 5. *ſect.* 16. *§. Sacerdotes*, Paſſerinus *in Cap. Accuſatus, de hæret. in* 6. *num.* 65. aliis relatis. Deturpans Imagines Sacras, illaſvè percutiens, videtur malè ſentire cum hæreticis de cultu Imaginum Sacrarum, has videlicet adorandas, ac colendas non eſſe, contra ea, quę Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Invocat. Venerat. &c.* tradit, ibi. *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim habendas, & retinendas, eiſq; debitum honorem, & venerationem impertiendam*. Et ſicuti, qui verbo proferret, Sanctorum Imagines colendas non eſſe, hæreticaliter blaſphæmaret, & hæreticus eſſet, vel ſaltem de hæreſi ſuſpectus, ità, qui facto non veneratur, ſed conculcat eaſdem, hæreticus eſt, vel adminus de hæreſi ſuſpectus; ideòq; delictum iſtud privativè, quo ad Laycos, ſpectare ad S. Officium, ſcripſere Lazar. *tract. de blaſph. q.* 6. *nu.* 14. Genuenſ. *cap.* 18. *nu.* 17. Carena *nu.* 41. Belochius *in praxi Theol. Mor. p.* 2. *q. p. nu.* 73. Azeved. *ad Reg. Conſtit. lib. p. tit. p. leg.* 3. *num.* 7. Bordon. *cap.* 26. *q.* 14. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 9. Salelles *lib. p. reg.* 139. *in fine*, & alii plures. Videantur plura apud Carenam, *ubi ſuprà*. Fulcimus hucuſq; tradita. Sortilegia etiam ſimplicia, furtum Pixidis cum Particulis Conſecratis, blaſphæmiæ hæreticales, polygamia, deturpatio, percuſſioq; Imaginum, ac generaliter delicta omnia ſuſpicionis hæreſis, ſunt merè Eccleſiaſtica; omnia ſiquidem crimina cum hæreſi connexa Eccleſiaſtica ſunt. Bald. *conſ.* 260. ubi, quòd in iis, quæ ſpectant ad fidem, ſolus Eccleſiaſticus ligat, & abſolvit. Tuſcus *in v. Judex concluſ.* 446. aliis relatis. Paſſerin. *in Cap. Ut Inquiſitionis à num.* 28. *de hæret. in* 6. Et cuncta delicta ſuſpicionis hæreſis rei Eccleſiaſticæ ſolummodò, nimirum Fidei, Religioniq; adverſantur. Farinac. *q.* 8. *pract. num.* 127. quem refert, & ſequitur Delbenius *de Immun. Eccleſ. cap.* 10. *dub.* 2. *ſect.* Judex autem Laycus cognoſcens de crimine merè Eccleſiaſtico, excommunicationem contrahit, latam in Bulla Cœnæ *Can.* 17. per hæc verba. *Quivè juriſdictiones, ſeù fructus, redditus, & proventus ad nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumq; Eccleſiaſticas perſonas &c. pertinentes, uſurpant*. Ubi, nedùm de temporali, ſed Eccleſiaſtica etiam juriſdictione ſermo habetur, textuſq; loquitur in plurali, *juriſdictiones*, ad utramq; comprehendendam. Duardus *in Bullam Cœnæ lib.* 2. *Can.* 14. *qu.* 5. *nu.* 30. quamvis Alterius aliter ſentiat. Extrà dubium eſt, crimina merè Eccleſiaſtica non eſſe de Laycorum juriſdictione.

Ad primum ſatis patet reſponſio ex hucuſq; traditis. Cauſæ ſuſpicionis hæreſis verè, & propriè ſunt cauſæ hæreſis abſq; extenſione aliqua; menſq; Summorum Pontificum fuit, per dictas Conſtitutiones ligare etiam Laycos de hæreſis ſuſpicione cognoſcentes. Siquidem habue-

Digitized by Google

buerunt pro fine, ac mente, *ut Inquiſitionis negotium contrà hæreticam pravitatem ad Dei gloriam, & augmentum Fidei proſperetur*: Inquiſitionis autem negotium, nedùm circà hæreſim formalem, ſed etiam circà delicta ſuſpicionis hæreſis verſatur; illudq; haud proſperari, at perturbari contingit, ſi Layci de ſuſpicione prefata cognoſcant. Quamobrem, ſi Layci in dictorum criminum proceſſu ſe ingerant, mentem legum, de quibus ſuprà, offendunt, quiq; mentem legis offendit, punitur, ſicuti qui legis verba lædit. *L. Si quis, verſic. Quòd ſi dum proponitur, ff. de juriſd. omn. Jud. l. Sed Julianus, §. Mortui, ff. ad Macedoniam*. Imò intentio præfertur verbis. *Cap. Intelligentia, & Cap. Prætereà, de verb. ſignif.* Gloſſ. *in Cap. Si Poſtquam, in v. Mente, de elect.* Propter quam rationem Navar. *in Manu. cap.* 27. *nu.* 7. Suarez. *de Cenſ. diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 97. Sayr. *lib.* 3. *de Cenſ. cap.* 2. *num.* 4. Ugolin. *in Bullam Cœnæ §.* 2. quos refert, & ſequitur Souſa *in Bulla Cœnę diſp.* 88. *nu.* 2. ſentiunt, uſurpantes fructus, & redditus Eccleſiaſticos tempore vacationis Eccleſiæ, excommunicationem *Can.* 17. Bullæ Cœnæ contrahere, tametſi ibi exprimantur dumtaxat uſurpantes fructus perſonas ad Eccleſiaſticas attinentes, Eccleſiaq; vacans perſona vera non ſit, ſed repreſentata; dicunt enim, ſub perſonę nomine venire etiam Eccleſiam, nè legis intentio fruſtretur. Sic in caſu noſtro, nè intentio legis ferentis cenſuram ad hoc, ut Inquiſitionis negotiũ non deturbetur, ſed proſperetur, eliſa, eluſaq; remaneat, dicendũ, anathematis gladio feriri etiam Laycos de criminibus ſuſpicionis hæreſis cognoſcentes. Illuſtrare, ac roborare poſſumus iſta, ex probabiliſſima ſententia edocente, omnia, ad quæ ſe extendit ratio expreſſa legis, ſub lege comprehendi, non obſtante legis pœnalitate. Gloſſ. *in Cap. Sæpè de Temp. ordinat. in* 6. Gloſſ. *in Clem. p. v. eligatur, de elect.* Glòſſ. ſingul. *in Auth. de hæred. ab inteſtato venien. §. fin. v. ordinem, collat.* 5 commendata à Bald. *in l. fin. C. de hæret. inſtit.* Gloſſ. *in Auth. Min. debiti, C. Qui tutores*, commendata à Soccin. *in l. p. col.* 3. *ff. de vulg.* Panorm. *in Cap. Si quis de foro compet.* Sylveſt. latè *in v. lex, qu.* 18. Valer. *de differ. utriuſq; fori, v. lex, differ.* 10. Barboſ. *in Cap. Sæpè, de Temp. Ordin. in* 6. & alii, quia lex nil aliud eſt, quàm ratio legis. Quæ ſententia præcipuè vera eſt, quando agitur de favore Eccleſiæ, cui in dubio ſemper eſt inclinandum. Valenzuela *in defenſ. Monitorii Pauli V. part. p. num.* 43. Delbene, *ubi ſuprà*, aliis relatis; jura enim fauent Eccleſiæ; Et magis adhuc, ſi de fidei favore tractetur, cujus in gratiam plura contrà jus commune diſpoſita ſunt. *Cap. Ut Inquiſitionis negotium, de hæret. in* 6. necnon *in Conſtit. Julii III. Licèt à diverſis*, exprimitur ratio, ob quam Layci de hæreſis crimine cognoſcere non poſſint, & ſi de iſto cognoſcant, excommunicationem incurrant, dum dicitur. *Cum merè Eccleſiaſticum ſit:*

Et ratio iſta militat pariter de criminibus ſuſpicionis hæreſis, quæ ſunt merè Eccleſiaſtica. *Cap. Ut Officium Inquiſitionis*, ibi. *Nec non contrà infamatos de hæreſi, & ſuſpectos*. Fermoſin. *in Cap. de Bigam. q. 4. num.* 143, & diximus ſuprà. Quapropter concludendum, ſub dictis juribus comprehendi, nedùm Laycos de hęreſis formalis crimine, ſed etiam de hæreſis ſuſpicionis delictis cognoſcentes. Addimus, quòd omnes ſuſpecti de hęreſi debent ſuper intentione, & credulitate interrogari, etiam rigoroſo examine, abjurare, juxtà delicti qualitatem, ab excommunicatione, ſaltem ſub conditione abſolvi: Et hæc Judicis ſunt Eccleſiaſtici, nullo modo Layci; ac proindè Layci ſe ingerentes in iſtis cauſis Eccleſiaſticam juriſdictionem violant, & Inquiſitionis negotium deturpant.

Ad ſecundum diximus excommunicationem latam in Laycos cognoſcentes de crimine hæreſis, non eſſe reſervatam per Conſtit. Bonifacii VIII. de qua *in Cap. Ut Inquiſitionis negotium*, eſſe tamen reſervatam per Julium III. *in Conſtit. Licèt à diverſis*. Inſuper diximus, eoſdem contrahere ſatis probabiliter excommunicationem latam *in Can.* 17. Bullæ Cœnæ contrà uſurpantes Eccleſiaſticam juriſdictionem; hæcq; Summo Pontifici reſervata eſt.

Ad tertium negamus, Canonem 17. Bullæ Cœnæ intelligendum de ſola temporali juriſdictione, & diximus Summos Pontifices uti verbo hoc, *juriſdictiones* in plurali, ad utramq; comprehendendam. Sed adhuc independenter ab hoc Canone, Layci cognoſcentes de crimine ſuſpicionis hæreſis, in cenſuram excommunicationis Summo Pontifici reſervatam, incurrunt, prout ſatis conſtat ex dictis.

SECTIO V.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit legentes abſq; debita licentia Libros hæreticorum continentes hæreſim, vel de Religione tractantes?

VIdetur poſſe. *Primò*. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt legentes Libros aliorum infidelium, etſi errores aliquos contineant, Libroſq; Græcorum, Armenorum, & ſimilium eorum ritus continentes, Judæorum, Turcarum, quamvis errores in Fide contineant, vel de Religione tractent. Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 12. *diſp.* 13. *num.* 8. Suarez. *de Fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 11. & quamplures relati à Delbenio *dubit.* 36. *num.* 6. Cur ergo idem dicendum non erit de legente Libros hæreticorum?

Secundò. Plures ſunt, qui abſq; licentia hujuſmodi Libros legunt ſine

Digitized by Google

ſine dolo, malovè animo, ſed ſola ex curioſitate, etiam ad bonum finem, ad confutandos hæreticorum errores. Aliqui ipſos legunt, & non intelligunt; nonnulli paucas lineas perlegunt, tametſi à principio multum legere intenderent; alii ignorant Auctorem Libri hæreticum eſſe, vel Librum hæreſim continere, aut de Religione tractare; qui omnes per Confeſſarium quemlibet abſolvi poſſe videntur.

Tertiò. Quamvis legentes præfatos Libros excommunicati dicantur in Indice Librorum prohibitorum, *regul.* 10. *in fi.* ibi *Quòd, ſi quis Libros hæreticorum, vel cujuſvis Auctoris ſcripta, ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, damnata, atq; prohibita legerit, ſivè habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat*; tamen excommunicatio iſta reſervata non eſt. Farinac. *de hæreſi q.*180. *nu.*6. Souſa *lib.p. Aphoriſ. cap.* 21. *num.* 48. & alii communiter. Undè per Confeſſarium quemlibet abſolvi poterunt.

Reſpondeo. Legentes Libros hæreticorum tractantes de Religione, vel hæreſim continentes non poſſunt per Confeſſarium quemlibet abſolvi, ſed ſolùm à Summo Pontifice, vel habente facultatem delegatam, aut niſi priùs in Sac. Tribunali Fidei, exteriori in foro abſolvantur. Aſſertio iſta communis eſt, & manifeſta; quoniam in Bulla Cœnæ excommunicantur legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes Libros iſtos, per ſequentia verba. *Ac eorumdem Libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeù quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore*. Et quia cuiq; manifeſtum eſt, excommunicationes Bullæ Cœnæ Summo Pontifici reſervatas eſſe, ideò manifeſtè liquet, legentes hæreticorum Libros de Religione tractantes, vel hæreſim continentes, per Confeſſarium quemlibet abſolvi non poſſe. Hìc ſolùm explicanda remanent præfata verba Bullæ. Dicitur, *eorundem Libros*, hęreticorum videlicet, quoniam excommunicatio hęc non incurritur, niſi Liber ſit alicujus hęretici, qui debet eſſe notorius, denunciatus, vel publicè profitens aliquam hęreticorum Sectam, & in dubio, an hęreticus ſit Auctor, excommunicatio locum non habet; nec dicitur hęretici Liber ille, qui editus fuit ante lapſum, dum Auctor erat fidelis; aut poſt reconciliationem factam Eccleſię, ſi approbatus fuerit; neq; ille, qui compoſitus eſt ab Auctore Catholico, compilatuſq; ab hæretico, nihil inferente de ſuo, ſecus, ſi quid de ſuo apponat, vel addat alicui Libro Catholici Scholia hęreſim continentia, vel ex profeſſo de Religione tractantia, ſaltem ſi ſint major pars Libri. Per hęreticum intelligitur hęreticus formalis, ideòq; prohibitione ſub iſta non comprehenditur Liber Auctoris Catholici, etiamſi hæreſes aliquas dam-

natas per ipſius ignorantiam contineat, ſicuti neq; ſi per malitiam alicujus hęretici Libro Catholici errores ſint additi: tamen Liber iſte aliàs eſt prohibitus per Clem. VIII. & Paulum V. *Libros* vocamus in præſenti non ſolùm impreſſos, ſed etiam manuſcriptos, quia licèt cauſa prohibitionis impulſiva ſpecialior ſit in Libris impreſſis, qui faciliùs ad manus omnium deveniunt, cauſa tamen finalis, ſcilicet odium hæreſis, & periculum infectionis, eſt eadem etiam in manuſcriptis. Num autem ſub Librorum nomine veniant breves annotationes, vel quęcumq; alia brevis Scriptura; ut Oratio, Concio, Quęſtio, Epiſtola, Lectio, vel Diſputatio, negant aliqui, ſed affirmat Suarez *de fide diſp.20. ſect.2 nu.* 10. Trullench. *lib.p. in Decal. cap.3. dub.9. §.5. num.*16. Farinac. *de hęreſ.q.*180.*n.*30. aliique plures, quia in hoc Canone Bullæ Cœnæ nomen libri non ſignificat libri materialitatem, quatenùs ſcil. continet plura ſolia complicata, ſed formalitatem, prout ſcilicet continet doctrinam, & aliquid legendum, quod ſalvatur, ſivè ſint epiſtolæ, ſivè conciones, ſivè folia, ſivè quid ſimile, & in his quoq; militat ratio legis, quæ eſt providere, ne ex lectione fideles inficiantur, & hæreſes propagentur. *Hęreſim continentes* ſunt libri illi, qui, etſi de re prophana ſint, nec ex profeſſo de hæreſi tractent, nihilominùs unam, vel alteram hæreſim continent modo doctrinali, itaut hæreſim, quam continent, rationibus probent, etſi illam contineant ſolùm incidenter: ſi verò illam non contineant modo doctrinali, & hæreſis una ſit, vel altera, ſatis probabile eſt, quòd non dicantur hæreſim continere, ad effectum incurrendi excommunicationem Bullarem; cum tunc non habeant vim, & efficaciam ad inficiendum, & trahendum legentis aſſenſum. Sufficit ad hoc, ut hæreſim contineant, quòd Liber ſit Auctoris hæretici, & libri doctrina hæretica ſit, quamvis Commentaria ſint Auctoris Catholici, & è converſo. *Vel de Religione tractantes*. Liber ille dicitur de Religione tractare, qui tractat de rebus ad Fidem pertinentibus, & de Sacra Scriptura, vel aliqua ejus parte, de Theologia Scholaſtica, vel Morali, etiam de caſibus conſcientiæ, de Myſteriis Fidei, de cultu Dei, & Sanctorum, de Pontifice, Epiſcopis, Cardinalibus, Clericis, Religioſis, vel aliis Miniſtris Eccleſiæ, de moribus Chriſtianis, de recta, vel non recta morum inſtitutione, de virtutibus, & vitiis in ordine ad finem ſupernaturalem, de Religionis ritibus ad Religionem, ſivè Catholicam, ſivè reprobatam ſpectantibus, & ſimilibus. Expoſcitur, ut liber tractet de Religione ex profeſſo, & inſtituto, nec ſufficit, ut obiter de ipſa tractet, non tamen, quòd argumentum libri ſit de Religione, cum poſſit liber per digreſſionem de pluribus negotiis ab argumento propoſitò diverſis tractare ex profeſſo notabiliter. *Quid*, ſi Liber de Religione tractet, ſed hæreſim non contineat? Adhuc ipſum legens excommunica-

nica-

Digitized by Google

nicationem incurrit, ſiquidem Canon disjunctim loquitur, propterea, ut locum habeat, ſatis erit, quòd alterutrum, ſeù pars altera verificetur, ſed placet dictum iſtud limitare, ut tantùm valeat, quandò liber tractat de Religione hæretico modo, iſtud cum aliquo influxu hæreſis in tractationem, ſcilicet cum aliqua proteſtatione, & relatione ad hæreſim, ſeù aliquo modo diſponendo ad hæreſim; Nam ex tertia regula indicis, annotationes in Sacram Scripturam, cujuſcumque Auctoris ſint, expunctis locis ſuſpectis, permittuntur; nec non regula octava, libri, quorum argumentū principale bonum eſt, in quibus tamen obiter, ſeù incidenter aliqua, quæ ad hæreſim, impietatem, divinationem, vel ſuperſtitionem ſpectant, inſerta ſunt, à Catholicis Theologis, Generalis Inquiſitionis authoritate, expurgati concedi poſſunt. Dicitur, *Sine auctoritate noſtra, vel Sedis Apoſtolicæ*, quoniam ſolus Pontifex poteſt concedere licentiam legendi iſtos libros, tamen facultatem ſuam in hoc communicavit, ac delegavit Congreg. S. Officii, & Indicis, nec non in Urbe Magiſtro Sac. Palatii *Scienter legentes*. Ut quis cenſuram Bullæ Cœnæ incurrat, neceſſe eſt, ut ſcienter librum legat, undè non excommunicatur, qui ignoranter dictos libros legit, licèt ignorantia ſit craſſa, aut ſupina, niſi adſit ingens temeritas, ut eſt vehemens ſuſpicio malitiæ libri. Souſa, aliis relatis, *lib.p. Aphoriſ. cap.* 21. *num.*22. & qui ignoraret, libros eſſe hæreticos, vel de Religione tractare, quamvis ſciret Authores eorum hæreticos eſſe, vel è contra, ſi ſciret libros eſſe hæreticos, vel de Religione tractare, & ignoraret, Authores eſſe hæreticos, excommunicationem Bullarem non incurreret. At Decret. Pauli IV. in hac materia ligat etiam ignorantes ignorantia craſſa, vel affectata, quoniam ſcientiam non requirit. *Legentes*. Sumitur hìc legere cum intelligentia, & non tantùm phyſicè, & materialiter, quoniam ſolùm legere formaliter importat periculum infectionis, & habet effectum lectionis, & legere, & non intelligere, eſt non legere. Satis tamen eſt, ut quis dicatur legere librum hæreticum, quòd illum oculis percurrat cum advertentia ad ea, quæ in ipſo ſcripta ſunt; quamvis ore nihil exprimat, ſed recitans memoriter librum prohibitum, quamvis prava intentione id faciat, non cenſetur legere, neque legens paucas lineas excommunicationem incurrit, ob parvitatem materiæ; Proemium verò, aut Index libri parvitas materiæ non dicitur; ſunt tamen aliqui negantes omninò parvitatem materiæ in hoc particulari. Tolet.*lib.p.c.*19.*n.*9. & alii. Ad contrahendam cenſuram ſufficit legere librum in illa parte, quæ hæreſim non continet, & etiam librum à ſe editum, ſi legens vivat in terris, ubi Bulla Cœnæ recepta eſt. *Aut retinentes*, ſivè in propria; ſivè in aliena domo, ſivè librum intelligant, ſivè non, ſivè totum retineant, ſivè partem, dummodò folium unicum

non

Digitized by Google

non ſit, ſivè retineant, ut legant, ſivè ſolùm cauſa curioſitatis, ornatus, vel permutandi cum aliis. Parvitas materiæ excuſare poteſt ab excommunicatione retinentem libros dictos, ut ſi retineat per ſpatium unius, vel duorum dierum, dummodò non retineat illos voluntate abſoluta retinendi; non tamen excuſatur, ſi auctoritate propria illos comburat, & Inquiſitoribus non tradat, quoniam licèt Bulla Cœnæ nihil dicat, quòd liber deferendus ſit ad Inquiſitores; tamen Paulus IV. in ſuo motu proprio prohibuit ſub pœna excommunicationis reſervatæ Summo Pontif. vel Inquiſitori Gener. ne libros hæreticorum, vel ab Inquiſitoribus prohibitos habentes abſolvantur, niſi priùs illos Inquiſitoribus tradant. Quæ diximus de legentibus, & retinentibus proportionaliter intelliguntur etiam de imprimentibus, & defendentibus, ſivè publicè, ſivè occultè, quocumque ingenio, vel colore, ut patet ex adductis verbis Bullę. Videri poteſt Delbene *à dubit.* 41. cum aliis ab ipſo citatis, quoniam noſtri inſtituti non eſt plenam tradere notitiam de hac materia, ſed dumtaxat indicare Confeſſario quid poſſit.

Ad primum dicimus non valere argumentum à paritate in legalibus ſed ſtandum eſſe expreſſis: Bulla autem Cœnę expreſsè loquitur ſolùm de hęreticis, quales non ſunt Judęi, & Turcę. Quatenùs verò Gręci, & Armeni ritè baptizati ſunt hęretici, prohibentur eorum libri, ſicuti aliorum hęreticorum, ſi de Religione tractent, vel hęreſim contineant. Alibi tamen prohibentur libri infidelium, & de Thalmud, aliique libri hebręorum, habetur in Indice librorum prohibitorum in obſervationibus ad regulam decimam, & in Conſtit. Clem. VIII. *Cum Hebręorum malitia*. De Alcorano videri poteſt Delbene *Dubit.* 44. §. *Addenda*, *num.* 8. De libro Magazor, Index *loco cit.*

Ad ſecundum dicimus, incurrere excommunicationem legentem dictos libros, quamvis illos legat abſque dolo, & malo animo, ſed ex ſola curioſitate, vel ad hęreticos confutandos. Souſa *lib. p. Aphoriſ. cap.* 21. *num.* 17. ubi alios refert. Quid dicendum ſit de legentibus, & non intelligentibus, de parvitate materię, atque ignorantia, in corpore ſectionis tactum fuit?

Ad tertium, quidquid ſit de aliis excommunicationibus in legentes pręfatos libros latis, certum eſt, illam, quę habetur in Bulla Cœnę, Summo Pontifici reſervatam eſſe: hęc autem fertur contrà legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes libros hęreticorum continentes hęrèſes, vel de Religione tractantes, ut explicavimus.

*****
***
*

SE-

Digitized by Google

SECTIO VI.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit legentes Libros Hæreticorum non tractantium de Religione, nec hæreſim continentes, Libros aliorum Infidelium, nec non Catholicorum prohibitos, non ex cauſa hæreſis?

VIdetur non poſſe. *Primò*, quia libri hęreticorum, ſivè de hęreſi, & Religione tractent, ſivè non, prohibiti ſunt in prima Claſſe, ut habetur ex ſecunda regula Indicis, ibi, *Cujuſcumque nominis, tituli, aut argumenti exiſtant, omninò prohibentur*. Et damnato Authore, omnes ipſius libri damnati cenſentur ſub pœna excommunicationis, ut docent Pegna 2. *p. Direct. Com.* 3. Duard. *in Bulla Cœnę lib.* 2. *qu.* 34. *num.* 21. & alii, qui dicunt, ſub pœna excommunicationis prohibitos eſſe libros omnes hęreticorum, quamvis de hęreſi non tractent. Pius IV. etiam *in Conſtitut. Dominici gregis, die* 26. *Martii* 1564. edita, decrevit. *Is quidem, qui hęreticorum libros, vel cujuſvis Auctoris ſcripta propter hęreſis, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque probibita legerit, habueritvè, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum, tamquam de hęreſi ſuſpectum, inquiri, & procedi liceat, propter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, Sacriſque Canonibus conſtitutas*, in qua Conſtitutione nedùm excommunicantur legentes libros prohibitos propter hęreſim, ſed etiam ob ſuſpicionem falſi dogmatis.

Secundò. Quantùm ad Libros aliorum Infidelium. Clemens VIII in Conſtit. *Cum Hebręorum malitia*, prohibuit ſub excommunicatione librum Thalmudi, libros Cabaliſtos, atque alios Hębreorum nepharios, *continentes tacitè, vel expreſsè hæreſes, vel errores contra Sacras veteris Legis, & Teſtamenti Scripturas, nec non contumelias, impietates, blaſphemias contra Deum, Sanctiſſimam Trinitatem, & Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ejuſque Sanctam Chriſtianam Fidem, ac Beatiſſimam ipſius Genitricem ſemper Virginem Mariam, & Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alioſvè Sanctos Dei, Sacratiſſimam Crucem, Sacramenta novæ Legis, Sacras Imagines, & Sanctam Catholicam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, ac contra Chriſti Fideles, præſertim Epiſcopos, Sacerdotes, & alias Eccleſiaſticas Perſonas, atque etiam contra nuper ad ejuſdem Chriſti Fidem converſos, ac Neophytos, & alios contra Religionem Catholicam, vel in quibus etiam impudicæ, & obſcenæ narrationes memorantur, etiam ſub prætextu, quòd expurgati fuerint &c.*

Digitized by Google

&c. Quoad libros Turcarum. In indice librorum prohibitorum recognito à Clemente VIII. prohibetur Alcoranus Mahumetis Baſileę impreſſus, cum impiis Scholiis, Annotationibus, & Pręfationibus, & in ultimo indice prohibetur Alcoranus Mahumetis cum omnibus Scholiis, & impiis annotationibus, & pręfationibus cujuſcumque impreſſionis, & idiomatis. Origenes, monitore S. Gregorio Taumaturgo, *in Orat. Panegir. ejuſdem*, noluit, ut ſui diſcipuli libros Atheorum legerent, *&* *diſt.* 37. per totam, damnantur Gentilium libri.

Tertiò. Legentes libros Aſtrologię judiciarię, quamvis hęreticorum non ſint, nec tractent de Religione, aut hęreſes contineant, excommunicationem incurrunt Summo Pontifici reſervatam ex Conſtit. Pii IV. quę notatur *in Reg. nona Indicis librorum prohibitorum*. Concludendum igitur per Confeſſarium quemlibet abſolvi non poſſe legentes libros hęreticorum non tractantes de Religione, nec hęreſim continentes, aliorum Infidelium, & Catholicorum prohibitos, non ex cauſa hęreſis.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt legentes libros hęreticorum non tractantes de hęreſi, nec de Religione, in cujus dicti comprobationem ſic diſcurro. Iſti libri, vel pro ſuis Auctoribus cognoſcunt hæreſiarcas, vel ſimplices hęreticos; ſi illos prohibiti ſunt, ex regula ſecunda indicis, ibi, *Hæreſiarcarum libri tàm eorum, qui poſt prędictum annum hæreſes invenerunt, vel ſuſcitarunt, quàm qui hæreticorum capita, aut Duces ſunt, vel fuerunt, quales ſunt Lutherus, Zuvinglius, Calvinus, Balthaſſar Pacimontanus, Scuvenefeldius, & his ſimiles, cujuſcumque nominis, tituli, aut argumenti exiſtant, omninò prohibentur.* Verùm excommunicatio non videtur ferri, niſi contrà legentes libros prohibitos hęreticorum, ob hęreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, propter verba indicis, in fine regulæ 10. *Quòd, ſi quis libros hæreticorum, vel cujuſvis Auctoris ſcripta, ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, damnata, atque prohibita legerit, ſivè habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat*, neque excommunicatio indicis eſt reſervata. Nec in Bulla Cœnæ fit mentio, niſi dè libris hęreticorum tractantibus de Religione, vel hęreſim continentibus. Loquendo autem de libris, non hęreſiarcarum, ſed hęreticorum, non continentibus hęreſes, nec de Religione tractantibus; ſentiunt nonnulli eſse permittendos, quales ſunt libri Grammatici, Rhetorici, Dialectici, Philoſophici, Medici, Mathematici, & ſimiles, eo quod conſcripti non ſunt ab hæreticis, in quantùm tales ſunt, nullumque periculum inferunt, quod Lectores ex ipſorum lectione ad hęreſim pertrahantur, & in partibus Septentrionalibus ſæpè prodeunt hæreticorum libri Medici, Juridici, Hiſtorici, qui plerumque unam, vel plures hæreſes obiter

obiter admixtas habent, & tamen paſſim in Catholicorum Bibliothecis retinentur, ac leguntur, exceptis eorum hæreticorum hiſtoriis, ut Joannis Aventini, & Sebaſtiani Muſteri. Alii volunt, libros quoſcumque hæreticorum, etiam de quibus loquimur, prohibitos eſſe, quia damnato Auctore cenſentur damnati omnes libri illius, ſed ſtante etiam hac ſententia, dicendum eſt adhuc legentes libros prefatos per Confeſſarium quemlibet abſolvi poſse, quoniam prohibitio non eſt cum excommunicatione reſervata. Quoad libros Judæorum, certum eſt prohiberi, & Thalmudici prohibentur ſub excommunicationis pœna per Clem. VIII. etiam ſi ſint ſine Gloſſa, Commentariis &c. quæ tamen excommunicatio non eſt reſervata, ideòque abſolvi poterit à quocumque legitimo Confeſſario. Liber Magazor eorundem hebræorum, in quo continentur Officia, & Cœremoniæ ipſorum in lingua hebræa permittitur. Alcoranus Mahumetis liber Turcarum, eſt prohibitus cum omnibus Scholiis, & impiis annotationibus, & præfationibus, cujuſcumq; impreſſionis ſit, ſed prohibitio hæc non ſit cum excommunicatione reſervata. Quoad libros Gentilium, & Ethnicorum, quamvis iſti multa contineant pertinentia ad impias eorum Sectas, ſeu profeſſiones; quia iſtæ jam ceſſarunt, nec ampliùs vigent, nec legentium animos ad malum earumdem Sectarum pertrahere poſſunt, cum jam exploſæ ſint, & emortuæ, permittuntur: Quarè in regula ſeptima Indicis dicitur. *Antiqui verò ab Ethnicis conſcripti, propter ſermonis elegantiam, & proprietatem permittuntur; nulla tamen ratione à pueris perlegendi erunt*. Nec obſtat dictum Iſidori, quod refertur *diſt. 37. Can. 13. Ideò prohibetur Chriſtianis legere figmenta Poetarum, quia per oblectamenta fabularum nimiùm mentem excitant ad incentiva libidinum. Non enim thura ſolùm offerendo dæmonibus immolatur, ſed etiam eorum dicta libentiùs capiendo*; quoniam Iſidorus non loquitur ſpecialiter de Libris Gentilium, ſed generaliter de Libris Poetarum continentibus res laſcivas. Quoad Libros prohibitos, non ex cauſa hereſis; Libri Geomantię, Hydromantiæ, Onomantię, Necromantię, ſivè in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis Magicę, non prohibentur in Bulla Cœnę, ſi Auctor eorum hereticus non ſit, ſed in Indice prohibitorio. Souſa *lib. 1. Aphoriſ. cap. 21. num. 21.* Legentes Libros prohibitos ex alia cauſa, quàm hereſis, puta, quia ſunt contrà bonos mores, peccatum mortale incurrunt, ut habetur in fine decimę Regulę Indicis, ibi: *Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Epiſcoporũ ſeverè puniatur*. Quod verum eſt, etiamſi legens periculo peccati mortalis non ſe exponat. Homob. de Bonis *in Exam. Eccleſ. tract. 7. q. 10.* Sed à quolibet abſolvi poteſt, quia excommunicatio, de qua in Bulla Pii

Digitized by Google

IV. nemini eſt reſervata. Confeſſarius omninò curare debet, vt Libri hęretici, vel hęreticorum ad Inquiſitores deferantur, nec antè debet pœnitentem abſolvere, quàm Libros cum effectu S. Officio conſignari curaverit, & ſi pœnitentes propoſitum habeant retinendi Libros, etiam continentes res laſcivas, & contrà bonos mores, nullo modo ratione periculi, & peccati mortalis, abſolvi poſſunt. Interrogare debet pœnitentem, an ſciat aliquos legere, vel retinere Libros hęreticorum, hęreſim continentes, vel de Religione tractantes, etiam in alienis domibus, & quatenùs ſciant, illos cogere ad denunciandum S. Officio. Inſuper à quo, vel à quibus Libros habuerit, quandiù penès ſe eoſdem retinuerit, quotiès legerit, an aliquibus, quibus, ac quotiès ipſos accommodaverit; an eorum occaſione carnaliter peccaverit. Demùm, gravitate peccati hujus patefacta, pœnitentiam proportionatam delicto, pro ſuo arbitrio injungat.

Ad primum; Regula ſecunda Indicis verbis in illis loquitur de Libris Hęreſiarcharum; diximus autem, Bullam Cœnę non facere mentionem, niſi de Libris hęreticorum tractantibus de Religione, vel hęreſim continentibus, nec habere verbum de Libris Hęreſiarcharum, cujuſcumq; tituli, ac argumenti exiſtant: Ideò dicti Libri prohiberi videntur ſolùm per Indicem; Verum eſt tamen, vix Librum aliquem ab Hæreſiarchis noſtri temporis eſſe ſcriptum, qui non ſit de materia Religionis. Libri primæ Claſſis prohibentur ſub excommunicatione Summo Pontifici reſervata per Bullam Cœnæ Domini; ſed prohibitio primæ Claſſis eſt propter Auctores hæreticos, quorum proindè omnes Libri ſcripti de materia Religionis prohibentur, quamvis eorum aliqui nullum forſan errorem manifeſtum contineant; quia damnato Auctore in certo genere, nempè Religionis, damnata cenſentur omnia illius ſcripta in materia Religionis.

Ad ſecundum, qualiter prohibeantur Libri Judæorum, Turcarum, atq; Gentilium, diximus in corpore ſectionis, nimirum, non prohiberi in prima Claſſe, & ſub excommunicatione Summo Pontifici reſervata. Quoad Libros Gentilium, non eſt verum prohiberi *diſt.* 37. quamvis in *Can. p.* dicatur, quòd Epiſcopus legere non debeat Gentilium Libros, ſed hæreticorum, & figmenta Poetarum repudientur. Origenes pręcipere conſuebat ſuis Diſcipulis, quòd legerent Libros tàm Philoſophorum, quàm Poetarum Gentilium, nihilq; repudiarent. Multiq; Patres, ut Tertullianus, Epiphanius, Irenæus, ac D. Auguſtinus curarunt, quòd Gentilium Libri in lucem ederentur, in quibus erant multa pertinentia ad eorum ſectam; & Angelicus Doctor ſcripta Ariſtotelis commentatus eſt.

Ad tertium dicitur, Libros Aſtrologiæ judiciariæ, ac continentes

artem divinatoriam, ut Chyromantiæ, Necromantiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ; ſive etiam de veneficiis, auguriis, ſortilegiis, incantationibus, auſpiciis, arte Magica Dęmoniaca tractantes, ſi hæreſim contineant, & ſint Auctorum hæreticorum, prohibentur ſub pœna excommunicationis Bullæ Cœnę, & ſi falſi dogmatis ſuſpicionem contineant, ſub excommunicatione per Bullam Pii IV. Si verò, nec ſint hæreticorum, nec hæreſim contineant, nec falſi dogmatis ſuſpicionem, eorum prohibitio non eſt ſub pœna excommunicationis. Libri iſti editi ab Auctore Catholico, & continentes clarè hęreſim, vel ejus ſuſpicionem, ſeù falſi dogmatis, ut contingit, quando continent ſortilegia qualificata, vel expreſſam Dęmonum invocationem, ſpectant ad ſecundum gradum prohibitionis, ſub excommunicatione ipſo facto, non reſervata; de qua in Bulla Pii IV. *Dominici Gregis*: non verò reſervata, quidquid dixerint nonnulli apud Salelles *lib. p. cap. 18. num. 33.*

SECTIO VII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ſuadentem aliquem ad legendum abſq; licentia hæreticorum Libros tractantes de Religione, vel hæreſim continentes, & lectionem eorumdem audientem?

VIdetur Sayro *tom. p. Theſaur. lib. 3. cap. 5. num. 14.* Alterio *lib. 5. Cenſur. diſp. 2. cap. 6. dub. 2.* Leandro *part. 4. tract. 3. diſp. p. q.* 58. Suarez *de Fide diſp. 20. ſect. 2. nu. 19.* Dianæ *part. p. tract. 11. reſol. 33.* aliiſq; pluribus, talem non evitare cenſuram Bullæ Cœnæ latam in legentes Libros præfatos; abſolviq; non poſſe per Confeſſarium quemlibet, & hęc ſententia ſuaderi poteſt. *Primò*. Agentes, & conſentientes pari pœna plectuntur. *Cap. Quantæ, de Sent. excommunicationis*; ex qua ratione textus infert, nedùm excommunicari percutientes Clericum, ſed etiam dolosè non impedientes; eſt autem major ratio de ſuadente aliquem ad Librum legendum abſq; licentia.

Secundò. Ubicumq; eſt eadem ratio prohibitionis, eſt etiam eadem prohibitio; juxtà *Text. in Cap. Ex parte, de Poſtulando*, ubi prohibitio advocandi facta Monachis declaratur, quod etiam Canonicos Regulares comprehendat, ibi. *Idem judicium de Canonicis Regularibus, quod eſt de Monachis, quantum ad ſupradicta, credimus obſervandum, licèt de Monachis in Canone ſit ſpecialiter expreſſum*. Similis habetur extenſio per interpretationem *in Can. Idololatria 28. q. p.* Militat idem motivum prohibitionis in audiente, & legente Libros prohibitos, videlicet pe-

riculum infectionis; imò efficaciùs per auditum, quàm per lectionem, doctrina prava percipitur. Cur ergo excommunicatus non erit ille, qui non habens licentiam legendi Libros prohibitos, alios ad eoſdem legendos ſuadet, & eorumdem lectionem audit?

Tertiò. Lectio duplicem actionem includit, prolationem ſcilicet verborũ, & illorum intelligentiam, ſeù perceptionem, hæcq; principalior eſt, atq; ſufficiens ad cenſuram incurrendam, & nos *ſect. v. diſcept. præſentis* ſcripſimus, oculis percurrentem Librum, exteriùſq; verba non proferentem, dici legentem. Audiens lectionem Libri habet intelligentiam, ſeù perceptionem, ideòq; legere dicitur, quantum ſufficit ad excommunicationem incurrendam.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt illum, qui ſuo conſilio, juſſu, vel mandato fuit cauſa, ut aliquis ſine licentia legeret Libros prohibitos, lectionemq; eorumdem audivit, etiamſi Libri prohibiti ſint propter hæreſim, tractatum de Religione, & Auctores hæreticos. Nam, iſtum excommunicationis laqueo innodatum non eſſe, docent Souſa *lib.* 1. *Aphoriſ. cap.* 21. *nu.* 13. *& in Bulla Cœnæ cap.* 2. *diſp.* 14. *num.* 4. Delbene *dubit.* 39. *num.* 3. ubi quamplures refert. Ratio eſt, quia leges pœnales extendi non poſſunt, nec debent, ultrà propriam ſignificationem. *Cap. Odia de Regul. juris in* 6. niſi declaretur talis extenſio, & fiat in jure, ſicuti *in Cap. Quantæ, de ſent. excom.* declaratur, quòd lex contenta in *Cap. Si quis ſuadente* 17. *qu.* 4. ſe extendit ad conſulentes percuſſionem Clerici. Sub verbo, *Legentes*, non comprehenditur audiens legentem, etſi legentem ad legendũ induxerit, cum neq; inductio ad legendum, neq; auditio lectionis propriè ſit lectio, ſiquidem legere propriè eſt viſu, & mente ſcripta percurrere: Undè in *l. p. §. legi, ff. de his, quæ in teſtam. delend.* dicitur: *Legi autem ſic accipiendum eſt, non intelligi, ſed oculis proſpici, quæ ſcripta ſunt*; quod dictum, prout excludit intelligentiam, ſolùm legere phyſicè, exteriùs, & materiale comprehendit; tamen legere formaliter etiam claudit particulam dictam, *oculis proſpici*, etſi ulteriùs intelligentiam addat. Hinc docet Salelles *lib. p. cap.* 19. *nu.* 116. cæcum non eſſe capacem ad violationem dictæ prohibitionis, nec ad contrahendam cenſuram contrà violantes latam; benè tamen mutum, cum externa verborum prolatio ad lectionem neceſſaria non ſit; ſicuti ex alia parte exigitur, quòd viſu corporeo ſcripta percurrantur. Qui nuſquam litteras, & alphabetum didicit, ſi ſurdus non ſit, legentem audire poteſt. Ergo ſcit legere? Nullus daretur habens auditum ſine ſcientia legendi, ſi idem eſſet legere, ac legentem audire. Scio, te reſpondere, audientem lectionem, quam imperavit, vel conſuluit, non legere per ſeipſum, ſed per alium, & talem lectionem ſufficere ad cenſuram incurrendam. In contrarium,

eſt,

eſt, quia cenſura lata in facientes non comprehendit ſuadentes, jubentes, vel mandantes, niſi exprimantur. Cajet. *in v. Excommunicatio in princ.* ubi rationem reddit, quia ſcilicet in jure non dicuntur verè agere, niſi illi, qui faciunt, hoc eſt exercent, ſeù exequuntur actionem illam, quæ excommunicationi ſubiicitur. Sylveſt. *eodem v. ultimo, quæſ. 4. dict. 3.* Quis declaravit, cenſuram latam in legentes Libros prohibitos, extendi etiam ad perſuadentes, præcipientes, conſulentes, & audientes lectionem, ſeù per alium legentes? Quamobrem dicendum, hos excommunicatos non eſſe, & per Confeſſarium quemlibet abſolvi poſſe. Excommunicationi tamen ſubiicitur legens dictos Libros in prima claſſe prohibitos, quamvis illos ad juſſionem, conſilium, aut præceptum alterius perlegat, & famulus illos legens de mandato Domini, ſi illos intelligat, quoniam quilibet magis tenetur Eccleſię, quàm proprio Domino, vel alicui homini obedire; nec excuſari poteſt, niſi vel propter ignorantiam, aut propter metum cadentem in virum conſtantem; qui tamen metus locum non habet, ſi compulſus id faceret in fidei, Eccleſiævè contemptum; in quo caſu lethaliter peccaret, ſed excommunicationem non contraheret. Non eſt eadem ratio de legente, & conſulente, ſeù præcipiente, vel audiente. Illuſtrari poteſt aſſertio. Qui legentem Librum prohibitum audit, quando prohibitio non eſt cauſa hæreſis, quamvis licentiam non habeat ipſum legendi, non peccat mortaliter, niſi perverſionis periculo ſeſe exponat, tunc enim peccat contrà naturale præceptum de non exponendo ſe periculo peccandi, non contrà poſitivum de hujuſmodi Libris non legendis. Igitur pariter non habens licentiam legendi Libros hæreticorum de Religione tractantes, vel hæreſim continentes, in excommunicationem latam in legentes eoſdem non incidit. Suadendo tamen, conſulendo, aut præcipiendo lectionem Librorum prohibitorum illi, qui non habet facultatem eoſdem legendi, mortaliter peccabit, alium inducendo ad actionem lethaliter peccaminoſam, cui annexa eſt excommunicatio Summo Pontifici reſervata, & eodem modo ſcandalum proximo præbendo, peccaret, qui licentiam habens legendi hos Libros, præſentibus, audientibuſq; aliis, qui ex talis lectionis auditu perverti poſſent, ipſos perlegeret.

Ad primum, regula illa, *Qui per alium facit per ſeipſum facere videtur*, veritate gaudet in contractibus, ac moralibus, quo ad culpam incurrendam, ſed non quo ad pœnam, præſertimq; Eccleſiaſticam, niſi jus explicet, pœnam latam in facientes comprehendere etiam conſulentes, ſuadentes &c. ut diximus. Addo, quòd legere per alium, ſeù lectionem audire, impropriè, & metaphoricè dicitur legere. Pœnalis lex ad ſenſus improprios non extenditur.

Ad

Ad ſecundum, non ſufficit eamdem eſſe rationem prohibitionis, niſi adſit, & declaratio extenſionis ad caſus, in quibus eadem eſt ratio. Diſpoſitio *Cap. Quantæ de ſent. excom.* eſt extenſio *Cap. Si quis ſuadente 17. q. 4.* Subjecta in materia declaratio iſta deſideratur, & verba Bullæ de legentibus, haud de audientibus, conſulentibus, aut præcipientibus lectionem, loquuntur, & quia audire, conſulere, ſuadere, ac præcipere lectionem non eſt legere, idcircò excommunicationis cenſura ad hos non extenditur. In materia excommunicationis ſtrictè procedendum eſt, nec facienda extenſio, &, cum ſit pœna privans hominem tot bonis, nonniſi in caſibus à jure expreſſis induci debet. Gloſ. penult. *Cap. fin. de Jurepatron.* Fagnan. *in Cap. Ad hæc, de Religioſ. Dom.* Delbenius, *de immunit. Eccleſ. part. 2. cap. 16. dub. 24. ſect. 5 num. 12. l. p. ff. de Aleat.*

Ad tertium, non eſt eadem ratio de audiente lectionem, & percurrente oculis Librum; quoniam iſte propriè dicitur legere, cum ad lectionem externa verborum prolatio non expoſcatur, ſed ad eamdem ſufficiat, ut ex Libro notitia eorum, quæ in ipſo continentur, hauriatur. Souſa *in Bulla Cœnæ cap. 12. diſp. 13. num. 5.* Salelles, *ubi ſuprà*, aliiq; communiter. Et quamvis intelligentia ſit lectionis pars principalis, tamen internam ad lectionem pertinet, cum intelligere ſit intùs legere, juxtà doctrinam S. Doctoris 2. 2. *q. 8. art. 1.* Nec pars iſta principalior lectionis ad conſtitutionem ſufficiens eſt, ſed ulteriùs perceptio corporeum per viſum deſideratur; ſicuti licèt anima præcipua ſit pars hominis, tamen, præter ipſam, hominis ad efformationem corpus etiam neceſſarium eſt.

DISCEPTATIO V.

Quibus pœnis plectendi ſint Confeſſarii abſq; facultate abſolventes ab hæreſi, & quid hujuſmodi abſolutio valeat.

BVLLA Cœnæ habet, abſolventes ſine juriſdictione ab hæreſis crimine gravi pœna dignos eſſe: Hinc de qualitate iſtius pœnæ inquirimus. Item, num hujuſmodi abſolutio valida ſit.

SECTIO I.

Vtrùm Confeſſarius ſine juriſdictione abſolvens ab excommunicatione in hæreticos lata puniendus ſit, quibuſque pœnis?

VIdetur puniendum non eſſe. *Primò*, quia in Bulla Cœnæ pœnę aliquę in ſic abſolventes non ſtatuuntur, nec puniendos eſse decernitur, at ſolummodò pœnæ comminantur.

Secundò. Confeſsarius ſimplex abſolvens à criminibus in Bulla Cœnę reſervatis excommunicatus non eſt, aut pœnas aliquas incurrit. Ugolin. *in Bulla Cœnæ, explicans §. Quod ſi fortè aliqui ſub num.* 3. Cur igitur puniendus erit abſolvens à cenſuris ibidem reſervatis? Quę nam major ratio de excommunicatione, quàm de hæreſi, de cenſuris, quàm de peccatis?

Tertiò. Inadvertentia, oblivio, vel ignorantia excuſare poſſunt Confeſsarios de abſolutione abſque juriſdictione data; ſicut Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 24. *diſp.* 101. *num.* 4. inquit, excuſari mulieres, Religioſos Converſos, & Laycos, ſi ex ignorantia à cenſuris in Bulla Cœnę reſervatis abſolverent. Undè Confeſsarii puniendi non ſunt.

Reſpondeo. Confeſsarius abſolvens ab excommunicatione in hęreticos lata graviter puniendus eſt excommunicatione, privatione officiorum, ac dignitatum, inhabilitatione ad quęcumque officia, prę laturas, beneficia impoſterùm obtinenda. Souſa *ubi ſupra*. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 3. Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap.* 34. Lupus *part.* 2. *lib.* 10. *diſt.* 8. *art.* 2. *diffic.* 5. & alii. Nam legis tranſgreſsores meritò puniendi ſunt, factę enim ſunt leges ad humanam coercendam audaciam, ipſęque habent punitivam, ſeù coercitivam virtutem, ut docet Iſidor. *lib.* 5. *Ethim.* & habetur *diſt.* 3. *Privilegia*, traduntq; Theologi cum Angelico *in p.* 2. *in materia de legibus*. Lex contenta in Bulla Cœnę vetat Confeſſariis abſolvere à cenſuris reſervatis ibidem Summo Pontifici; ibi. *Cæterùm à prædictis ſententiis, nullus per alium, quàm per Roman. Pontif. &c.* Idcircò contravenientes puniendi erunt juxtà tenorem ejuſdem Bullæ in ſequentibus verbis, *Quod, ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium, talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, gravius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri*. Abſolventibus igitur ab excommunicatione in hęreticos lata, aliiſque cenſuris in Bulla præfata reſervatis apertè declaratur, ac denunciatur, quàm graviter utrumq; gladium Summ. Pontif. adverſùs illos ſit educturus, & de facto ipſos

excom-

Digitized by Google

excommunicationis laqueo innodari. Extat Decretum Sac. Congregationis juſſu Clem. VIII. emanatum ſub *die* 19. *Januarii* 1602. per quod facultates in genere, & in ſpecie conceſſę, ac concedendę circa abſolutionem caſuum in Bulla Cœnæ contentorum, revocantur, & in ipſo ſequentia continentur. *Sub pœna contrafacientibus tàm Regular. quàm Sæcularibus, excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitationis item audiendi confeſſiones, & ad quæcumq; officia, Prælaturas, beneficia imposterùm obtinenda, ipſo facto abſq; ulla alia declaratione incurrenda*: Quod tamen decretum de mandato ejuſdem Pontificis, *die* 26. *Novemb.* 1602. quoad inhabilitationem ad confeſſiones, modificatum fuit. Quaranta *in Summ. Bullar. v. Caſus reſervati.* Vidal. *Inquiſit.* 3. *nu.* 2. & alii. Paulus V. *die* 7. *Januar.* 1617. idem Decretum firmavit, qua in confirmatione ſequentia ad noſtrum intentum continentur. *Pręterquam in mortis articulo abſolvere audeant, vel præſumant, ſub eiſdem cenſuris, & pœnis, eo ipſo, & abſq; alia declaratione incurrendis, mandat, ac præcipit.* Sciendum tamen, quòd pœnæ, de quibus in Decreto Clem. VIII. non contrahuntur ab omnibus Confeſſariis abſolventibus à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ reſervatis, ſed ſolùm à Confeſſariis exiſtentibus extrà Urbem, intrà Italiam degentibus, quoniam ad ipſos dictum Decretum reſtringitur. Ex his probata manet aſſertio noſtra, nimirùm, Confeſſarios abſolventes ab excommunicatione in hæreticos lata eſſe puniendos dictis pœnis, excommunicationis, privationis officiorum &c.

Ad primum, jam diximus, in Bulla Cœnæ exprimi, ſic abſolventes graviter puniendos eſſe, & in ſpecie excommunicatione. In proceſſibus antiquis litterar. Bullæ Cœnæ pœnæ aliæ imponendæ exprimebantur, præter excommunicationem, ſiquidem, referente D. Antonino 3. *p. Summ. tit.* 24. *cap.* 72. addebatur ſuſpenſio ab officio prædicandi, legendi, audiendi confeſſiones, adminiſtrandi Sacramenta, ut in Bulla Cœnæ Martini V. apud eumdem, nec non Clem. VII. ac Pauli III. apud Petrum Rebuff. videri poteſt. Hodiè hujuſmodi pœnæ per Decreta Clem. VIII. & Pauli V. declarantur, ut vidimus.

Ad ſecundum occurrimus primò, Ugolini placitum amplectendum non eſſe, at aſſerendum, excommunicationis ſententia innodari, aliiſq; pœnis præfatis puniendos eſſe, nedùm à cenſuris, ſed etiam à caſibus abſolventes. Souſa *in Bulla Cœnę cap.* 24. *num.* 5. Alterius *in explicat. dicti* §. *ejuſdem Bullę cap.* 3. Duardus *lib.* 3. §. 3. *qu.* 4. *num.* 3. Tùm, quia in § illo excommunicationis anathemate feriuntur illi, qui excommunicationibus laqueatos abſolvunt; propterea nulla ratio aſſignari poteſt, cur magis intelligendus ſit de abſolutione ab excommunicatione, quàm à peccato, præſertim, quia militat eadem ratio, & tàm peccatum,

quàm

quàm cenſura reſervatur. Tùm etiam, quoniam §. *Quòd ſi fortè*, ad præcedentem, in quo agitur de abſolutione à caſibus Bullæ, refertur, & una lex per aliam declaratur. *L. Ut gradatim ff. de muner. & honor.* In §. autem præcedenti non magis agitur de abſolutione à cenſuris, quàm à peccatis, ſed ſimpliciter dicitur: *Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium &c.* Satisfacimus ſecundò, in ſententia Ugolini, non eſſe eamdem rationem de caſibus, ſeù delictis, ac de cenſuris, quandoquidem in Bulla Cœnæ, *d. §. Quòd ſi fortè*, excommunicantur abſolventes à cenſuris, & peccatorum in eo non fit mentio; Cumque excommunicatio ſit pœna, caſus, culpa, & à diverſis non fiat illatio. *L. Papinian. exuli, ff. de minor.* ſequitur abſolventes à caſibus excommunicationem non incurrere. Si Pontifex hos comprehendere voluiſſet, ipſos expreſſiſſet. Nec à forma verborum recedendum eſt ſine certa ſcientia. Gloſſ. *Cap. Ad audientiam de Decimis, verb. intelligeremus.*

Ad tertium patebit ſolutio infrà *ſect. 3. & 4. diſcept. hujus*. Interim dicimus, non eſſe eamdem rationem de Confeſſariis, ac de Mulieribus, Converſis, & Laycis, ſiquidem in perſonis iſtis, attenta ipſarum qualitate, ignorantia præſumi poteſt in illis non tàm facilè. In Confeſſariis hæc eſt ignorantia eorum, quæ proprium ad officium ſpectant. Verùm, neque negamus, Confeſſarios ob ignorantiam excuſari poſſe à dictis pœnis, ut dicemus.

SECTIO II.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit ab excommunicatione, quam incurrit Confeſſarius abſolvens ſine juriſdictione ab excommunicatione in Hæreticos lata?

Videtur Cajet. *in Summ. verb. Excommunicatio, cap. 77.* Tabien. *eod. v. 6. num. 13.* Armillę *v. eod. num. 87.* Sylveſt. *v. Abſolutio num. 10.* Felin. *cap. Paſtoralis §. Prætereà de Offic. Ordin.* Vivald. *in Candel. in Explanat. Bulla Cœnæ num. 140.* Ugol. *in Bulla Cœnæ, §. Quòd ſi fortè*, aliiſque non poſſe; hancque excommunicationem eſſe Summo Pontif. reſervatam. *Primò*. In Bulla Cœnæ, §. *Quòd ſi fortè*, dicitur, *Graviùs contrà eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.* At Pontifex noſcere non poteſt, quid expediat, niſi ipſe abſolvat, & in excommunicationem incidiſſe ſciat. Propterea aſſerendum eſt, Pontificem voluiſſe reſervare ſibi abſolutionem ab excommunicatione lata in Bulla Cœnæ contrà abſolventes à caſibus, atque cenſuris ibidem contentis.

Digitized by Google

Secundò. Sixtus IV. *in Extravag. Etſi Dominici, de Pœnit. & remiſſ.* loquens de abſolutione à cenſuris, & caſibus in Bulla Cœnę contentis, inquit, *Et contrafacientes ipſo facto excommunicat. ſententiam incurrant, à qua, niſi in mortis articulo conſtituti ab alio, quàm à Romano Pontifice abſolvi non poſſint*. In Decr. Clem. VIII. de quo *ſect. præc.* ſententia excommunicationis contrà Confeſſarios ſic abſolventes Summo Pontifici reſervatur verbis in illis, *Super quibus à nemine, niſi à Romano Pontifice*.

Tertiò. Quotieſcumque excommunicatio fertur ab homine, ab alio ſolvi non poteſt, quàm ab eo, qui eam tulit, aut ejuſdem delegato, ſucceſſore, vel Superiore, *Cap. Paſtoralis*, *§. Prętereà*, *de Offic. Ordin.* quia ejuſdem eſt ſolvere, cujus eſt ligare, *Cap. Verbum, de pœnit. diſt. p.* Et omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, *Cap. p. de reg. jur. in 6. & l. nihil tàm naturale*, *ff. eod.* quia læderetur juriſdictio ferentis illam, ut optimè nonnulli apud Fagnan. *cap. Canon. Statuta, de Conſtit.* Cenſurę autem in Bulla Cœnæ contentæ ſunt ſimpliciter ab homine Summo Pontifice; idcircò eidem reſervatę ſunt.

Reſpondeo. Confeſſarius, qui eſt excommunicatus ex eo, quòd abſque facultate à caſibus, & cenſur is in Bulla Cœnę contentis abſolvit, ſi ſit in Urbe, vel extra Italiam, à quocumque Confeſſario approbato abſolvì poteſt. Navar. *in ſuo Manual. c. 27. ſub n. 74.* Sebaſt. Medic. *in ſumma peccat. cap. tit. 9. qu. 78.* Sovſa *in Bulla Cœnæ diſp.* 101. Duard *eod. tract. lib. 3. §. 3. q. p.* & alii ab eiſdem citati, qui tamen omnes, uno, vel altero excepto generaliter loquuntur, ſed nos arctamus aſſertum ad Confeſſarios abſolventes in Urbe, vel extra Italiam, quoniam de illis, qui ſunt in Italia extra Urbem, eſt ſpecialis difficultas, ob Decretum Clem. VIII. ut dicemus: Quamvis in antiquis proceſſibus Cœnæ excommunicatio iſta Sum. Pontif. reſervata fuerit per ea, quæ tradit Fel. *Cap. Paſtoralis*, *§. Prætereà, de Offic. Ordin.* ubi inquit Paulum II. addidiſſe Bullæ Cœnæ Martini V. quòd abſolventes excommunicatos in Bulla Cœnæ Domini in eamdem excommunicationem Papalem inciderent, à qua per inferiorem Pontifice excepto mortis articulo, abſolvi non poſſent, undè ſententia à principio relata aliquandò fuit vera; tamen nunc in Bulla Cœnæ excommunicatio iſta non reſervatur, ut patet perlegenti proceſſus poſteriorum Pontif. & eo ipſo, quod non eſt reſervata, conceſſa cenſetur ejus abſolutio, ut docent Suarez *de Cenſur. diſp. 21. ſect. 3. nu. 6.* Fagnan. *Cap. Canonum ſtatuta num. 32. de Conſtit.* ubi ſcribit, ab omni excommunicatione lata à Canone poſſe inferiorem abſolvere, quotiès conditor Canonis abſolutionem ſibi non reſervavit, quod verum eſt, tùm in Canone Papali, tùm Epiſcopali, juxtà doctrinam Abbatis, *Cap. Nuper, de ſent. excomm.* in quo textu ratio redditur

verita-

veritatis hujus, per has voces: *Quia tamen conditor Canonis ejus abſolutionem ſpecialiter ſibi non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*. Si reſpondeas, excommunicationem latam in Confeſſarium abſolventem à caſibus, & Cenſuris Bullæ Cœnæ, fuiſſe reſervatam in Bulla Cœnæ aliorum Pontif. & in ſpecie Pauli II. & per Bullas Cœnæ modernorum Pontif. non fuiſſe tali clauſulæ derogatum, tametſi illa omiſſa fuerit: legemq; priorem ſemper proprio eſſe in robore, niſi revocetur. Satisfacio, aſſignando diſcrimen verſans inter ſententiam contentam, latamq; per Bullam Cœnæ, atq; per legem inflictam. Lex, etſi iterùm, atq; iterum feratur circa eamdem rem, cum eiſdem circumſtantiis, non ceſſat, niſi per poſteriorem revocetur. At Bulla Cœnę prior ſtatim, ac ſubſequens publicetur, ipſo facto ceſſat, etiamſi non revocetur, ut indicant verba illa, *Volentes, præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcumq; in his contenta, quouſq; alii hujuſmodi proceſſus à nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſq; effectus omninò ſortiri*. Ex quo ſequitur, quòd, ſi quid in poſteriori Bulla Cœnæ omittatur, ſimpliciter ſublatum cenſetur, etiam ſi id expreſsè non revocetur, nec declaretur. Suarez, *de Cenſur. diſp. 21. ſect. p. n. 2.* Et quia in Bulla Cœnæ promulgata per poſteriores Pontif. non continetur clauſula dictę reſervationis, ideò habenda eſt, ac ſi non adeſſet. At Confeſſarii extrà Urbem, intrà Italiam, pręfata excommunicatione innodati, niſi per Romanum Pontif. vel ab ipſo Delegatum abſolvi non poſſunt. Quandoquidem per Decret. Clem. VIII. excommunicatio hæc ipſi Summo Pontif. reſervatur, prout conſtat verbis ex illis, *Super quibus à nemine, niſi à Romano Pontifice, habilitatio, diſpenſatiovè, aut abſolutio, præterquam in mortis articulo poſſit impertiri*. Videri etiam poteſt Duard. *d. lib. 3. §. 3. q. p.* ubi aſſignando differentias repertas intrà Bullam Cœnæ, ac præf. Decr. Clem. VIII. hanc enumerat, quòd excommunicatio, de qua loquimur, per dictum Decretum, non verò per Bullam Cœnæ, reſervatur Sum. Pontifici. Quod verò Decretum Clementis ad Confeſſarios intrà Italiam, extrà Urbem, limitatum ſit, conſtat ipſum perlegenti.

Ad primum, pœnæ illæ in Bulla Cœnæ comminatæ locum ſibi vendicant ſolùm, quoties Confeſſariorum exceſſus, delictumq; ad forum contentioſum, & in judicio deductum eſt; ipſiq; excommunicationis vinculo innodati declarati ſint; non verò ad forum pœnitentiale ſpectant, ut inquit Souſa, *ubi ſupra diſp. 101.* Cum Judex inferior, quoad arbitrarias pœnas in Bulla comminatas Judex competens non ſit, conſtito ſibi de contraventione, excommunicationeque contracta per Sacerdotem temerè à cenſuris, & à caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis abſolventem, antequam ipſum abſolvat, tenetur Romanum Pontificem

Digitized by Google

certiorare, ut ſi expedire noverit, graviùs contrà eum ſpiritualiter, & temporaliter procedat. Sed hæc in foro contentioſo.

Ad ſecundum, ex vi Extravag. illius dumtaxat prohibetur, ne quis à caſibus Bullæ Cœnæ abſolvat prætextu confeſſionalium ab ipſomet Pontifice Sixto IV. conceſſorum. Sylveſt. *verb. Excommunicatio 7.num.77.* Souſa *diſp.*101. Duardus, aliique apud ipſum, hæcque reſponſio colligitur ex verbis ejuſdem Extravag. *Conſiderans, quòd plerumque contingit Suam Sanctitatem hujuſmodi facultates, & confeſſionalia tàm præſentibus, quàm abſentibus, etiam oraculo vivæ vocis, ne prætextu conceſſionis hujuſmodi, vel pœnitentes, vel Confeſſores &c.*

Ad tertium duplex damus reſponſum, juxtà duas ſententias circa hunc punctum. In primis negamus contenta in Bulla Cœnæ eſſe ab homine; ſentiunt namque plures eſſe à jure, & per modum legis, nec non perpetuitatem habere, ex quo addita fuit clauſula illa, *Volentes præſentes noſtros proceſſus &c.* Navar. *in Man. cap.*27. *num.*73. Vivald. *in Bulla Cœnę*, explicans dictam clauſulam, *Volentes*. Suarez *de Cenſur. diſp.*21. *ſect.p.* Duard. *lib.p. cap.*3. *qu.*7. *n.*28. Sed quia non deſunt graviſſimi Doctores ſentientes eſſe ab homine, etiam in horum ſententia ſatisfacimus, quod, dum excommunicatio fertur ab homine per viam ſententię generalis, etiam inferior abſolvere poteſt, dummodò abſolutio expreſsè reſervata non ſit; nam ſententia generalis ęquipollet Canoni, & ſtatuto. Covar. *in cap. Alma Mater p.p.* §.2. *nu.*4. Et quandò conditor Canonis ſpecialiter ſibi abſolutionem non reſervat, ipſam concedere cenſetur. *Cap. Nuper, de ſent. excomm.* Abbas, Felin. Fagn. & alii ibidem.

SECTIO III.

An Confeſſarius ex ignorantia abſolvens ab excommunicatione in hæreticos lata prædictas pœnas incurrat?

Videtur quampluribus, ignorantiam, ſaltem craſſam, & affectatam non excuſare Confeſſarium. Alterius *lib.*5. *de Cenſur. diſp.* 22. *cap.*3. Souſa *diſp.*100. *num.*3. & alii hoc docere videntur de craſſa, Suarez *tom.*5. *de cenſur. diſp.*4. *ſect.*10. *num.*3. Graff. *p part. deciſ.* *lib.*4. *cap.*9. *num.*38. Henriquez *lib.*13. *cap.*23. *num.*3. Layman. *lib.p. tr.*4. *part.p. cap.*20. *num.*2. aliique idem ſentiunt de affectata. *Primò. Ex cap. Ut animarum de Conſtit. in* 6. ignorantia craſſa, & ſupina à ſententiis per ſtatutum latis non excuſat, neque à pœna ęterna, juxtà Theologorum doctrinam; & ratio eſt, quia cum ſit indirectè volita, ſcientię ęquiparatur, idemque eſt ſcire, ac debere ſcire. Igitur Confeſſarius cum igno-

ignorantia craſsa ab excommunicatione in hæreticos lata abſolvens, non eſt immunis à pœnis in ſic abſolventes ſtatutis.

Secundò. Confeſſarius abſolvens cum ignorantia affectata eſt tranſgreſſor temerarius, quia hæc ignorantia culpam auget, ex D. Th. *p.* 2. *q.* 70. *art.* 4. quapropter nihil deeſt ex iis, quæ expreſſa præſumptio, formalis contemptus, ac temerarius auſus expoſcunt. Ideòq; excuſari nequit à pœnis in hujuſmodi abſolventes latis.

Tertiò. Ignorantia affectata contemptum non excludit; ſiquidem Auguſt. *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 3. & D. Greg. *lib.* 25. *Moral. cap.* 16. inquiunt, *quòd neſcire eſt ignorantiæ, nolle ſcire ſuperbiæ*; Inſuper peccans ex ignorantia habet peſſimum finem, nempè carere conſcientię remorſu in peccando; ac minorem in peccando habere triſtitiam; excuſationem ergo non meretur.

Reſpondeo. Confeſſarius abſolvens ex oblivione, inadvertentia, ignorantiavè non craſſa, excommunicationem, aliaſq; pœnas in abſolventes à cenſuris, & caſibus Bullæ Cœnæ, ſine juriſdictione, latas, non incurrit. Duard. *lib. p. cap.* 2. *num.* 15. *& lib.* 3. *§.* 3. *q.* 3. Souſa *in Bulla Cœnæ diſp.* 100. *num.* 3. ubi plures refert. Alter. *de Cenſur. lib.* 5. *diſp.* 22. *cap.* 3. & alii. Nam ignorantia invincibilis, oblivio, & inadvertentia à cenſura quacumq; excuſant, ut latè Duardus *dict. qu.* 3. actuſq; ex tali ignorantia patratus non eſt volitus, nec in ſe, nec in cauſa, imò nec peccatum mortale, ſine quo excommunicatio major ferri nequit. *Cap. Nullus* 11. *q. p.* Præſumere non dicuntur, ut inquit Fagnan. *Cap. Ad hæc nu.* 71. *de Religioſ. Dom.* qui contrà legem excommunicantem aliquid faciunt ex ignorantiâ, & ſimplicitate, undè putat, non incidere in excommunicationem Officiales univerſitatis, qui pecuniam ad Eccleſiam ſpectantem mutuarunt Univerſitati ad emendam anonam, aliaſq; illius indigentias ſublevandas. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 11. quoniam ſimplicitas, & bona fides excuſant. Si ignorantia iſta aliquo modo culpabilis eſſet, & ad peccatum ſufficiens, adhuc tamen ad pœnam inſufficiens eſſet in caſu noſtro. Souſa., *loco cit.* & circà hanc partem nulla eſt inter Scriptores controverſia, qui tamen diſſident quantum ad abſolventem cum ignorantia craſſa. At docemus cum Duardo *lib.* 2. *can. p. q.* 36. *& lib.* 3. *§.* 3. *q.* 3. Vidal. *de Cenſur. Inquiſ.* 3. ubi etiam citat pro ſe. Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 141. Vivald. *in Candel. explic. Bullæ Cœnæ num* 17. *§. De facto præſumpſerint*. Savr. *lib.* 3. *theſaur. tom. p. cap.* 25. alioſq; & infrà citandis; neq; iſtum excommunicationem, cœteraſq; pœnas incurrere, Bulla Cœnæ pœnas has fert ſolummodò in pręſumentes abſolvere à dictis cenſuris, caſibuſq; ut patet ibi: *Abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint*. Quoties Lex, vel Conſtitutio utitur hoc verbo, *præſumpſerint*, in eo, qui

non

non ex contemptu, at ignoranter legem tranſgreditur, locum non habet, quoniam præſumptio dolum, temeritatemq; denotat. Card. *in Clem. p. in princ. q.* 39. *de Privileg.* Cajet. *in Sum. v Excommunicatio cap.* 81. Quod ex craſſa ignorantia fit, non dicitur, fieri doloſè, quia dolus ex ſua formali ratione ſcientiam importat. Satis ad rem eſt doctrina Sylveſtri *verb. ignorantia num.* 18. ubi ſcribit, quòd quando lex dolum expreſsè, vel tacitè expoſcit, ignorantia craſſa inſufficiens eſt ad contrahendam pœnam à tali lege ſtatutam, ut colligitur ex *Cap. Si quis ſuadente* 17. *q.* 4. Nec lata culpa per hanc ignorantiam importata, æquiparatur dolo formali, ſi pœna ſit corporis afflictiva. *L. Actionibus ff. de in li. ju.* multò minus, ſi animę afflictiva ſit, qualis eſt excommunicatio. In eamdem ſententiam eſt Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 7. ſentiens, non incurrere cenſuram illum, qui ex ignorantia craſſa, ſive juris, ſivè facti, violat excommunicationes latas contrà ſcienter aliquid facientes, vel præſumentes facere. Meroll. *diſp. Theol. Moral. diſp. p. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 232. Anguian. *de legibus tom. p. lib.* 4. *controv.* 4. *num.* 18. Suffragatur etiam Doctrina S. Doctoris *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. docentis ignorantiam craſſam peccatum, voluntariumq; diminuere; excommunicatio autem in præſumentes lata voluntarium perfectum expoſtulat. Major adhuc eſt difficultas de ignorantia affectata; quamplures enim volunt, hanc ab excommunicatione non excuſare. Sed non pauci contrarium tuentur, volentes, excommunicationem latam contrà ſcienter aliquid facientes, non ligare contravenientes ex affectata ignorantia. Sanchez. *in Sum. tom. p. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 38. Bonac. *de Cenſur. diſp.* 2. *q.* 5. *punct.* 4. *num.* 9. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 6. *num.* 205. Diana, *ubi ſuprà*, & alii, quia verba legis pœnalis ultrà ſignificatum proprium extendenda non ſunt; qui autem cum ignorantia affectata operatur, non agit ſcienter. In terminis ſpecificis de Confeſſario abſolvente à cenſuris, & caſibus Bullæ Cœnæ, cum ignorantia affectata, hoc idem docent Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 3. *§.* 3. *q.* 3. Vidal. *ubi ſuprà*, & alii ab ipſo allegati. Affectata ignorantia legis cognitionem aliquo modo tollit, quoniam per ipſam homo ignorare affectat legem ex ejuſdem timore, quamobrem operans cum ipſa formalem contemptum, præſumptionemq; non habet, cum de contemptùs ratione ſit, nolle deliberatè, & ſcienter ſuæ regulæ cognitæ obedire, præſumptioq; timorem excludat, auſumq; temerarium importet. Propter iſta, pluraq; alia, quæ in veritatis hujus comprobationem adduci poſſent, cum eiſdem ſentimus; ſicuti *diſcept. p. ſect.* 11. determinavimus, ignorantiam quamcumq; etiam affectatam, ab hæreſi excuſare. Hæc vera ſunt; præſertim in foro conſcientiæ, in quo fides adhibenda eſt aſſerenti ex ignorantia, non ex dolo, temeritatevè abſolviſſe. In foro tamen externo

terno

Digitized by Google

terno ignorantia hæc non præſumitur; quoniam in Bulla Cœnæ præcipitur, ac mandatur omnibus Prælatis, locorum Ordinariis, Curatis, ac etiam quibuſvis Preſbyteris Sæcularibus, ſeù quorumvis Ordinum Regularibus, in virtute Sanctę Obedientię, ac ſub pœna indignationis Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ejuſdemq; Summi Pontificis, ne de hujuſmodi reſervatione ignorantiam prætendere valeant, ut quilibet tranſumptum harum litterarum Apoſtolicarum pœnes ſe habere, atq; legere diligenter, attentèq; ſtudeat. Nemò jura ſua ignorare præſumitur. Bart. *in l. Sed, etſi lege §. Sciremus. 3. de pet. hær.* Rota *deciſ.* 152. *num.* 6. *tom.* 2. *part.* 4. *recent.* In his, quæ ad officium proprium ſpectant, unuſquiſq; debet eſſe ſollicitus. Panorm. *Cap. Innotuit. num.* 9. *de elect.* Paſſerin. aliis relatis, *Cap. Ut animarum q. p. art.* 25. *num.* 478. *de Conſtit.* Si tamen ex probabilibus conjecturis colligi poſſet, abſolutionem impendiſſe, non ex pręſumptione, ſed ignorantia, hæc illi ſuffragabitur, ut diximus.

Ad primum ignorantia craſſa, ſupina, & affectata non ſemper à pœna excuſat, ſed ſolummodò, quando fertur in tranſgredientes ſcienter, & ex præſumptione; ut eſt in caſu noſtro, excommunicatio enim, aliæq; pœnæ in præſumentes ſtatuuntur, atq; ad illas contrahendas certus dolus requiritur. Non eſt eadem ratio de pœna ęterna, quæ pendet à voluntate Dei, punientis etiam negligentiam; ac de excommunicatione, aliiſq; pœnis ab hominum voluntate pendentibus, quando voluntas Judicis humani eſt punire ſolùm pręſumentes, & ſcientes. Si dolus formalis expoſcatur, voluntarium indirectè non ſufficit, & ignorantia craſſa, & affectata æquiparatur ſcientiæ per ordinem ad peccatum, non reſpectivè ad pœnam exigentem in peccante certam ſcientiam, & dolum. Videatur Suarez *lib.* 5. *de leg. cap.* 12.

Ad ſecundum, abſolvens ex ignorantia abſolutè, & ſimpliciter non eſt tranſgreſſor temerarius, quia directè, & immediatè legem non contemnit, ſed tantùm ſcientiam legis, imò, nè legem contemnat, illius ignorantiam affectat: neq; habuit vehementem ſuſpicionem, quòd iſte caſus reſervatus fuerit. Quòd affectata ignorantia culpam augeat, non obſtat, ſiquidem adhuc inſufficiens eſt ad faciendum abſolventem præſumptuoſum, contemptorem, & temerarium. Cœterùm, quomodo intelligenda ſit Doctrina S. Doctoris, explicant ipſius Commentatores.

Ad tertium reſponſio patet ex dictis, etſi talis ignorantia originaliter cum aliqua ſuperbia ſit, tamen non infertur, operantem cum illa agere ex præſumptione, contemptuq; legis. Minor autem triſtitia, de peccato ex ignorantia culpabili orta, non eſt tàm deteſtabilis, ſicuti, ſi ex vehementi contemptu cognito exorta fuiſſet; idemq; dicitur de remorſu conſcientiæ.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

An Confeſſarius abſolvens ſcienter, & præſumptuosè ab hæreſi abſq; juriſdictione, ſed non prætextu privilegiorum, prædictas pœnas incurrat?

VIdetur Vidal. *de Cenſur. Inquiſ.* 3. *à num.* 82. quòd non. *Primò* Excommunicatio, cum ſit maxima pœna, non extenditur ultrà id, quod verba ſonant, quia jus ultrà id, quod verbis intenditur, non operatur; ſed in caſu noſtro excommunicatio, aliæq; pœnæ latæ ſunt contra audentes abſolvere prætextu privilegiorum; hęc enim ſunt verba Clem. VIII. in ſupradicto decreto. *Jubet, & præcipit, ne quis eorum, ſub prætextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè, ſcripto, aut vivæ vocis oraculo &c.* Igitur Confeſſarius ſcienter, atq; præſumptuosè abſolvens &c. non eſt excommunicatus, nec alias pœnas incurrit, ſi hoc prætextu privilegiorum non faciat.

Secundò. In pœnis non arguimus ad ſimilia. *Gloſs. Cap. In pœnis, de regul. jur. in* 6. quoniam pœnæ caſum proprium non excedunt. Quamobrem, etſi eſſet ſimilis ratio de abſolventibus prætextu privilegiorum, ac de abſolventibus ſine prætextu iſto, adhuc dictas pœnas non incurrit, niſi abſolvens dicto prætextu, & hęc videtur mens Summi Pontificis in pręfato Decreto, quoniam per illud intendebat revocare privilegia, quæ prębere facilitatem veniæ, occaſionemq; peccandi videbantur.

Tertiò. Quotieſcumq; ſub excommunicationis pœna actio aliqua cum tali, vel tali determinato modo prohibetur, actio ſola ſimpliciter non ſufficit ad illam incurrendam, ſed per Decretum Clem. VIII. ſub excommunicationis pœna prohibetur abſolutio virtute privilegiorum; ergo ſola abſolutio ſimpliciter ad excommunicationem hanc incurrendam non ſufficit.

Reſpondeo. Confeſſarius abſolvens præſumptuosè, & ſcienter ab excommunicatione in hæreticos lata, ſi privilegiorum prętextu abſolutionem non impendat, non incurrit pœnas privationis Officiorum, & Dignitatum, aut Beneficiorum, niſi placeat Summo Pontifici pro ſuo arbitrio has pœnas imponere. Siquidem iſtæ expreſsè ſunt ſolummodò per Decretum Clem. VIII. quod locum habet ſolùm in abſolvente, *prætextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè, ſcripto, aut vivæ vocis oraculo, vel per excommunicationem à Sede Apoſtolica, vel ejus auctoritate, eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus Sæcularium, aut* ſingula-

ſingularibus perſonis, ſeù aliàs quomodocumq; ſub quibuſvis tenoribus, formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujuſvis, etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſarum, ſeù confirmatarum &c. Undè, qui non abſolvit prædictorum prætextu, de facto pœnas ſupradictas, & inhabilitatem ad quæcumq; Officia, Prælaturas, & Beneficia in poſterum obtinenda non incurrit. Et quantum ad hanc partem convenio cum Vidali, ipſiuſq; rationes inter arguendum adductæ concludunt. In moderatione etiam ejuſdem Decreti habetur. *Cæterùm, ne quis Sacerdotum Sæcularium, aut Regularium ſub prætextu, quòd per dictum Decretum non fuerit ſufficienter eorum ſpecialibus privilegiis derogatum, eidem decreto ſic, ut præfertur declarato, contravenire audeat, Sanctitas Sua Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c.* At non poſſum eidem aſſentiri, loquendo de excommunicatione, quandoquidem licèt in prædicto Decreto Clem. VIII. etiam excommunicationis pœna feratur in abſolventes tali modo, nempè privilegiorum prætextu; tamen Bulla Cœnæ non loquitur ſub eodem tenore, ſed abſolutè, & ſimpliciter de abſolventibus, abſq; mentione aliqua de prætextu privilegiorum. Audiamus ejus verba. *Quòd, ſi fortè aliqui contrà tenorem præſentium, talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, graviùs contrà eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.* Modò redarguamus citatum Scriptorem. Quotieſcumq; ſub excommunicationis pœna prohibetur actio aliqua ſimpliciter, non eſt reſtringenda lex ad actionem cum tali, vel tali determinato modo; cum ergo Bulla Cœnæ ſub excommunicationis pœna prohibeat abſolutionem à caſibus, & cenſuris in ipſa contentis abſolutè, & ſimpliciter, & abſq; reſtrictione aliqua ad abſolventes ſub prætextu privilegiorum, non rectè limitari, ac reſtringi debet excommunicatio ad abſolventes prætextu privilegiorum. Si mens Summorum Pontificum fuiſſet puniendi anathemate ſolùm abſolventes prætextu privilegiorum, hoc exprimerent illi in dicta Bulla, ſicut Clem. VIII. expreſſit in Decreto, & Sixtus V. in Extravag. *Etſi Dominici*. Si dicas, Bullam Cœnæ intelligendam eſſe juxtà Decretum Clem. VIII. quod eſt poſterius ipſa, ac ejus declarativum. Hoc nullo modo admittendum, quoniam Bulla Cœnæ ſingulis annis legitur, & quantum ad omnia in ipſa contenta eſt in ſuo robore, neq; interpretationem accipit à dicto Decreto.

Ad argumenta in contrarium patet ſolutio ex dictis.

SECTIO V.

An abſolutio ab hæreſi data per Confeſſarium carentem juriſdictione ſit nulla?

VIdetur eſſe validam. *Primò*. Quamvis in Bullis Pauli III. Clem. VII. ac antiquioribus adderentur in fine Can. hæc verba. *Et nihilominus quidquid egerint abſolvendo, vel aliàs, nullius ſit roboris, & momenti;* tamen nunc omittuntur, & quidquid eſt omiſſum in poſteriori Bulla ſublatum cenſetur, ut diximus ſuprà.

Secundò. Bona fides pœnitenti ſuffragari debet, nec Confeſſarii ignorantia debet in ejuſdem præjuditium redundare. Idcircò, qui bona fide ſuam hæreſim confitetur, quamvis Confeſſarius juriſdictione careat, abſolutus erit; ſicuti bona fides recipientis Sacramenta ſupplet defectum intentionis Miniſtri.

Tertiò. Si hujuſmodi abſolutio eſſet nulla, & invalida, Confeſſarius, qui abſolutionem dedit, teneretur pœnitentem admonere de errore commiſſo in abſolvendo, nullitateq; abſolutionis, & curare, ut iterùm confiteatur; quod videtur ſatis durum; hoc enim eſſet propriam ignorantiam detegere, propriæq; exiſtimationi præjuditium non leve afferre: nec facilis eſt modus certiorandi pœnitentem de tali errore.

Reſpondeo. Abſolutio ab excommunicatione contracta propter hæreſim, data à Confeſſario non habente juriſdictionem abſolvendi ab illa, nulla eſt, & invalida. Alter. *de Cenſur. lib.* 5. *diſp.* 22. *ſect.* 3. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 3. *§*. 3. *q.* 3. Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap.* 34. & alii. Aſſertio iſta habetur expreſsè in ſæpè dicto Decreto Clem. VIII. per hæc verba. *Prætereà noverint Pœnitentes, abſolutionem, ſi quam obtinebunt contrà hujuſmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliuſq; roboris, & momenti*. Ratio eſt, quia omnes actus, ad quos juriſdictio aliqua requiritur, ſi fiant à non habente juriſdictionem, nullius roboris ſunt, ac validitatis, quia defectus juriſdictionis actum nullum reddit. Ad abſolutionem requiritur juriſdictio, Conc. Florent. ſub Eug. IV. Cajet. *verb. Abſolutio pœnitentialis ex parte abſolventis*. Et nemo habet illam, vel ejus uſum, niſi per Eccleſiæ auctoritatem. Sotus 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 4. quia, etſi juriſdictio ad abſolutionem neceſſaria ſit de jure divino, nihilominùs ejus diſtributionem Eccleſiæ commiſit, dum Petro, tanquam Paſtori, curam, & regimen dedit totius Eccleſiæ; undè cum ad regimen competat juriſdictio, tàm in foro conſcientiæ, quàm in foro exteriori, hinc fit, ut nemo juriſdictionem habeat, ejuſvè uſum, niſi per Eccleſiæ auctoritatem. Si ergo Summus Pontifex,

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſię caput, ſibi reſervet facultatem, ac jurisdiđionem abſolvendi ab hæreſi, abſolutio ab aliis data nulla erit. Si obiicias, excommunicari, aliiſq; pœnis affici, Confeſsarium abſolventem ab hæreſi; nec puniri debere propter abſolutionem nullam, aliàs puniendus eſſet etiam Laycus, qui tentaret abſolvere à dicta excommunicatione, ac proindè validam eſſe. Occuro, & dico, non eſſe eamdem rationem, quia Laycus non eſt capax hujus juriſdictionis ſpiritualis, quę requiritur ad valorem abſolutionis, cum poteſtate clavium careat. At Sacerdos poteſtatis hujus capax eſt; ideòq; credendum non eſt, Pontificem voluiſſe ligare Laycos, ſi abſolvere præſumerent: alia tamen pœna plectendi eſſent, ſi quid tale tentarent. Simile docet Card *in Clem. p. nu. p. verſic. Quinto quæro*, *de Privil.* ubi aſſerit, Laycum adminiſtrantem Sacramenta contrà tenorem illius Can. non incurrere pœnas in eadem Clement. latas, cum ordine Eccleſiaſtico careat, & priùs quærenda eſt perſona, quàm ratio *L. Quidam*, *ff. de Jur. Cond.*

Ad primum, licèt in Bullis antiquioribus adderetur dicta clauſula, non tamen fuit addita, ut neceſſaria, quaſi, illa non adiecta, abſolutio ſubſiſteret, ſed ad majorem declarationem; undè per hoc, quòd nunc clauſula illa ſublata ſit, non ſequitur, abſolutionem eſſe validam, cum ſemper obſtet juriſdictionis defectus. Addimus, quòd licèt in Bulla Cœnæ non habeatur expreſsè nullitas, & invaliditas hujuſmodi abſolutionis; tamen continetur in Decreto Clem. VIII. ut diximus.

Ad ſecundum, non ſufficit bona fides pœnitentis, ſed etiam requiritur Confeſſarii juriſdictio, nec ignorantia Confeſſarii actum convalidat. Quapropter ſemper tutiùs eligere Confeſſarium doctum, & prudentem, quoniam, ſi ignarus ſit, indocto exiſtente etiam pœnitente, cæcus cęcum ducit, & ambo in foveam cadunt. Cajet. *in Summ. verb. Confeſſor.* Tunc veritate gaudet Auguſtini *lib.* 16. *de Civit. Dei*, effatum. *Ignorantia Judicis eſt calamitas innocentis*; quod, etſi dictum ſit de judicio exteriori, tamen aliqualiter in materia ſubjecta locum habet, quia pœnitens ex toto corde non ineptè innocenti aſſimilatur. Nihilominùs dicimus cum D Anton. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 12. quòd pœnitens, dum ignorat errorem, excuſatur apud Deum, ut magis patebit in ſolutione ad ſequens argumentum.

Ad tertium, D. Anton. *loco mox cit.* Reginald. *in Praxi lib.* 8. *cap.* 3. aliiq; ab iſto citati, dicunt, quòd, ſi Confeſſarius probabiliter timeat ſcandalum, conveniendo pœnitentem, ut quia is conquęſturus ſit de revelatione Confeſſionis, debet illum relinquere, & Chriſto Sacerdoti Summo committere, pręſertim, quandò multi ſunt, vel à loco Sacerdotis longè diſtant. Si verò nullum ſcandalum timeatur, Confeſsarius debet certiorare illum, quem ſic abſolvit de errore ſuo, ſi cognoſcit, &

T 2 poteſt

Digitized by Google

poteſt invenire, ideoq, petere, ut velit iterùm ſibi confiteri, vel ſaltem ſibi facere poteſtatem ſub eodem Sacramentali ſigno ipſum docendi veritatem, & tunc pœnitens tenetur conſilium Sacerdotis capere, ſique illud reſpuerit, in ipſum culpa Sacerdotis transfunditur. Sot. 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 6. Pœnitens confiteri debet generatim, ſi adhuc eſt memor ſui ſtatus, vel ſingillatim, ſi Confeſs. ſui ſtatus oblitus fuerit, & poſtquam pœnitens peccata illa ſimul cum aliis commiſſis confeſſus fuerit, poterit illum ab omnibus abſolvere, obtenta priùs facultate à Superiore. Si pœnitens ſoleat confiteri tali Confeſſario, iſte, obtenta facultate abſolvendi, in alia confeſſione poterit ab omnibus abſolvere abſque eo, quòd ipſum de errore moneat, curando ſolùm, quòd ſaltem in generali de criminibus reſervatis, *ut ſupra*, doleat. Vidal. *de Cenſur. Inquiſ.* 3. *à nu.* 106. Caſu, quo error in confeſſione commiſſus non ſit adeò gravis, ſed pœnitens abſolutus credatur, non eſt curandum de illo revocando, & pœnitente conveniendo, ſed iſte relinquendus eſt ſuę bonę fidei. Sotus, Reginaldus *ubi ſupra*. Hęc ſunt, quę communiter tradunt Doctores de Confeſſario, qui à caſibus reſervatis Superiori ſine facultate abſolvit. Specialiter autem loquendo de excommunicatione reſervata, poteſt Confeſſarius habita facultate à Superiore, cui reſervata eſt, pœnitentem ab excommunicatione abſolvere, etiam ſi abſens ſit, abſq; alia intentione, confeſſionevè pœnitentis, quoniam talis abſolutio non eſt Sacramentum, at judicialis quędam ſententia fori contentioſi, ferrique poteſt in abſentem, ignorantem, invitum, exiſtentemq; in peccato mortali. Suar. *tom.* 4. *diſp.* 32. *ſec.* 6. Vidal. pluribus aliis relatis *ubi ſupra*. Ex his liquet, quid dicendum ſit in caſu, de quo loquimur. Sylv. *in addit. ad* 3. *p. q.* 8. *art.* 5. *quęſito* 8. inquit, quòd Confeſſarius non debet monere extrà confeſſionem pœnitentem de errore, ſed ei dicere, *Vellem, quòd adhuc ſemel venires ad me pro confeſſione, quia habeo unum verbum tibi utile.* Si acquieſcet, officium ſuum tunc adimpleat. Si verò nolit, aut pœnitens ſit ignotus, vel abſens, pœnitentiam agat Confeſſor ſui errati, numquam verò à peccatis abſolvat abſentem.

D I-

DISCEPTATIO VI.

De facultate Confeſſariorum pro abſolutione ab hæreſi in articulo, periculoque mortis, nec non caſibus neceſſitatis.

QVę ad facultatem Cônfeſsariorum pro abſolutione ab hęreſi extra mortis articulum deſiderari poterant, hucuſque expendimus. Quia verò de mortis articulo Bulla Cœnę ſpecialiter loquitur, de ipſo peculiarem habemus Diſceptationem, in qua nonnulla etiam de mortis periculo, neceſſitatiſque caſu deliberanda erunt.

SECTIO I.

An Confeſſarius quilibet in mortis articulo ab hæreſi, excommunicationeque in Hæreticos lata abſolvere poſſit?

VIdetur non poſſe. *Primò*. Ille, qui, dum mente, ac corpore ſanus erat, pœnitere, abſolutionemque petere ab Inquiſitore, vel Epiſcopo noluit, privilegio hoc, ut in ultimo ſuæ vitæ periodo à quolibet abſolvi poſſit, indignus redditur, juxtà phraſim Auguſtini *Serm.* 36. *Quia rogare illos, non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatia, qui ſe non cogitavit moriturum*. Si autem Confeſſori cuilibet pro mortis articulo facultas abſolvendi ab hæreſi, atque excommunicatione in hæreticos lata, facultas conceſsa eſſet, procul dubiò hoc fuiſſet in favorem animarum.

Secundò. Ad abſolutionem requiritur jurisdictio, cùm pertineat ad claves Petro à Chriſto datas, ut ſolvere, & ligare poſſet, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris &c.* Nemo juriſdictione carens eam in mortis articulo acquirit. Ideoque non quilibet Confeſſarius in mortis articulo ab hæreſi, excommunicationeque ipſi annexa abſolvere poteſt.

Tertiò. Aliàs ſequeretur, quòd ſi hæreticus pœnitens mortem evaderet,

Digitized by Google

deret, precepto annuę confeſſionis ſatisfeciſſet, nec teneretur comparere poſteà coram Inquiſitore; ſicut, qui Sacramentum Baptiſmi in caſu neceſſitatis ab alio, quàm à proprio Sacerdote recipit, rurſùs baptizari non debet. Hoc admittendum non eſt, quia articulus mortis ſubditum ab obedientia ſui Superioris eximeret.

Reſpondeo. Confeſſarius quilibet in articulo mortis ab hæreſi, excommunicationeque in hęreticos lata abſolvere poteſt. Abbas *in cap. A nobis nu.10. de ſent. excomm.* Royas, *de hęret. part.2. num.*320. *aſſert.*38. Penna 3.*part. Direct. com.*25. Duard. *in Bulla Cęnę lib.2. §.2. qu.2.* Alter. *de cenſ. lib.5. diſp.22. cap.2.* Sylvius, & Nugnus *in addit. ad* 3.*part. qu.*8. *art.*6. Sotus *in* 4. *diſt.*18. *qu.*4. *art.*4. & alii communiter. Eccleſia reſervare ſibi caſus in mortis articulo non conſuevit, & in caſuum quorumcumque reſervatione exceptio in mortis articulo apponi ſolet. Undè in *cap. Si quis ſuadente* 17. *qu.*4. in quo ſermo habetur de excommunicatione ob manum violentam in Clericum, dicitur, *Et nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo. Cap. Ea noſcitur, de ſent. excom.* additur. *Si verò infirmitatis tempore timore mortis beneficium fuerit abſolutionis indultum. Cap. fin. de ſepult. Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifeſtis exceſſibus &c. per Præsbyterum ſuum juxtà formam Eccleſiæ abſoluto, non debent cœmeterium, & alia Eccleſię ſuffragia denegari. Cap. In litteris tuis, de Rapto. Tandem in ægritudine conſtitutus accepta pœnitentia de commiſſis per manum Capellani ſui fuit à ſententia anathematis abſolutus. Cap. Paſtoralis, §. Prætereà, de Offic. Ord.* ſcriptum relinquitur, quòd excommunicatus à Papæ Delegato, iſto demortuo, ab alio, quàm à Pontifice, niſi in mortis articulo abſolvi non poteſt. Et quod inductivè oſtendimus, tradit S. Synodus Trident. *ſeſſ.*14. *c.*7. per hæc verba. *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.* Attendenda ſunt verba illa, *Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat*, per quę rationem reddit, quarè in mortis articulo criminum reſervatio aliqua eſſe non debeat, ne ſcilicet fidelium animę detrimentum aliquod patiantur. In fine vitę pœnitentis Sacerdotem quemlibet facultatem habere abſolvendi ab omnibus peccatis, cenſuriſq; expreſſit S. Doct. 4. *diſt.*20. *ac ſupplem.* 3.*part. qu.*8. *art.*6. ſcribens: *Quia neceſſitas legem non habet, ideò quandò neceſſitatis articulus imminet, per Eccleſiæ ordinationem non impeditur, quin abſolvere poſſit, ex quo habet Claves, etiam Sacramentaliter, & tantùm conſequitur ex abſolutione alterius, ſicuti, ſi à proprio Sacerdote abſolveretur. Nec ſolùm à peccatis tunc poteſt à quolibet Sacerdote abſolvi, ſed etiam ab excommunicatione à quocumque ſit lata, & hæc abſolutio etiam ad juriſdictionem pertinet, quæ per legem ordinationis Eccleſiaſticæ coarctatur.* Mortis articulus eſt tempus, quo

Digitized by Google

quo agitur de perpetua felicitate conſequenda, aut de perpetua damnatione, ſeù ſupplicio ſubeundo, & non ageret Eccleſia, quę Spiritu Sancto gubernatur, ac regitur, ſecundùm ampliſſimam Dei Miſericordiam, ſi hac in extrema neceſſitate conſtitutis non ſuccurreret. Hinc, etſi Rom. Pontif. mortis articulum non exciperet, nihilominùs concedere omnibus Sacerdotibus facultatem abſolvendi ab omnibus reſervatis, etiam ab hęreſi, cenſeretur, quia ſi Legislator id, quod omiſit, dicturus, ac conceſſurus fuiſſet, perindè habetur, ac ſi dixerit, & conceſſerit. Gloſ. commun. recepta *in l. Tale pact. §. fin. ff. de pact.* Verumtamen in Bulla Cœnę, ac in Decr. Clem. VIII. ſatis exprimitur, abſolutionem ab hęreſi, aliiſq; caſibus dictę Bullę in mortis articulo reſervatam non eſſe; ibi, *Niſi in mortis articulo*. Poſſet nihilominùs Summ. Pontif. de potentia ſua abſoluta dictam abſolutionem reſervare, etiam pro mortis articulo, ut docent Sotus, Duardus, aliiq; *ubi ſupra*, ſed malè faceret. Inquirunt Scriptores pręfati, num Sacerdotes facultate gaudeant abſolvendi à reſervatis in mortis articulo, de jure Divino, vel humano; dicimus de humano.

Ad primum, Eccleſia, cum ſit pia Mater, non attendens filiorum demerita, in ultimo vitę periodo agit ſecundùm ampliſſimam Miſericordiam ſuam, omnibuſq; facultatem abſolvendi à reſervatis concedit; *Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat*. Infelix fidelis in mortis agone conſtitutus commiſerandus eſt, ipſique quantùm poſſibile, indulgendum, fàcilis reddenda via ad ſalutem, Porta Cœli reſeranda, ut poſſit miſericordias Domini in ęternum cantare.

Ad ſecundum ſatisfacit S. Doct. *in ſupplem. 3. p. qu. 8. art. 6.* inquiens, *Ad primum dicendum, quòd aliquis poteſt uti juriſdictione alterius, quia ea, quę juriſdictionis ſunt, committi poſſunt. Undè, quia Eccleſia acceptat, ut quilibet Sacerdos abſolvere poſſit in articulo mortis, ideò ex hoc ipſo, quis uſum juriſdictionis habet, quamvis juriſdictione careat*. Ex dictis etiam patet reſponſio, nimirùm in mortis articulo pro caſibus, & cenſuris nullam eſſe reſervationem, Sacerdoteſque omnes facultatem habere abſolvendi.

Ad tertium, ſectionibus ſequentibus, in quibus ſermo erit de onere comparendi coram Superiore, ſatisfiet. Interim audiatur D. Thom. *ubi ſupra. Ad ſecundum dicendum, quòd non oportet eum recurrere ad proprium Sacerdotem, ut iterum à peccatis ſolvatur, à quibus in articulo mortis ſolutus eſt, ſed, ut innoteſcat ei, quòd eſt abſolutus. Nec ſimiliter oportet, quòd abſolutus ab excommunicatione ad Judicem vadat, qui aliàs abſolvere potuiſſet, abſolutionem petens, ſed ſatisfactionem offerens*. Verùm remittimus Lectorem ad dicenda infrà.

SE-

SECTIO II.

An hæreticus pœnitens in mortis articulo etiam ab Heretico Sacerdote abſolvi poſſit?

VIdetur, quòd non, Adriano *in 4. qu. 3. de Baptiſ.* Soto 4. *diſt.* 18. *qu.* 4. *art.* 4. Covaruv. *in Cap. Alma Mater* §. 6. *num.* 8. *de ſent. excomm.* & quibuſdam Doctoribus *ſuper Cap. Non eſt, de Sponſal.* quæ ſententia fulciri poteſt. *Primò*, auctorit. Angelici Doct. 3. *p. qu.* 82. *art.* 7. *ad* 2. inquientis. *Solus Baptiſmus permittitur eſſe ratus Hæreticis, & Schiſmaticis, quia licitè poſſunt baptizare in articulo neceſſitatis. In nullo autem caſu poſſunt licitè Eccleſiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre.* Ambroſ. etiam *lib.* 2. *de Cain, & Abel*, dicit potiùs debere hominem mori, quàm communicare in ſacris cum excommunicatis.

Secundò. Si hæreticus Sacerdos hęreticum pœnitentem in mortis articulo conſtitutum abſolvere poſſet, talis infirmi teneretur confeſſiones audire, caſu quo Sacerdos alius non adeſſet, quandoquidem divinum eſt pręceptum ſubveniendi alteri in caſu neceſſitatis, articuloque mortis; hinc ſequeretur, hunc Sacerdotem hęreticum eſſe perplexum, quoniam abſolvendo cum hæreſi, & mortali peccato, peccaret lethaliter; nullus enim favor datur excommunicatis per hoc, quod aliis conceditur, ut eis confiteri poſſint, ut expreſsè dicitur in Conc. Conſtan. Non abſolvendo pariter mortale crimen committeret contra præceptum ſubveniendi proximo. Igitur dicendum, hæreticum Sacerdotem abſolutionem impendere non poſſe in mortis articulo.

Tertiò. Hæreticus caret fide, quæ eſt fundamentum juriſdictionis; neque eadem eſt ratio de confeſſione, ac de baptiſmo, ſiquidem in baptiſmo Miniſter concurrit ſolùm inſtrumentaliter; in abſolutione verò eſt cauſa principalis, quia Judex. Item. Miniſter hæreticus carens fide recipere nequit motum vitalem, cum illa ſpiritualis vitæ principium ſit.

Reſpondeo. Hæreticus pœnitens in mortis articulo à quolibet Sacerdote, ſuſpenſo, interdicto, excommunicato, ſchiſmatico, hæretico, ac degradato, abſolvi poteſt. Sylveſt. *v. Confeſſor. p. qu.* 20. Angelus *v. Confeſſio* 3. *q.* 2. Canus *in relect. de pœnit. part.* 5. Cajet *in Summ. v. Abſolutio*. Capreol. *in* 4. *diſt.* 19. Nugnus, & Sylvius *in ſupplem.* 3. *p. q* 8. *art.* 6. Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. pr. num.* 60. Card. de Lugo *de fide, diſput.* 23. *ſect.* 3. §. 4. Oviedo *eod. tract. controv.* 11. *punct.* 5. aliique plures. Nam lex concedens, ut Sacerdos quilibet in mortis articulo ab hæreſi, aliiſq; caſibus reſervatis abſolvere poſſit, favorabilis eſt, atq; adeò extenden-

da

da ad omnes Sacerdotes, quicumq; illi ſint, dummodò capaces ſint abſolvendi: Quamobrem Sanctus Doctor *in ſupplem. q.*8. *art.*6. generaliter loquitur de omni Sacerdote, docens Sacerdotem quemlibet in fine vitæ abſolvere poſſe à caſibus, cenſuriſque reſervatis, & ſub eadem amplitudine, & univerſalitate loquitur Tridentinum, cujus ſunt ſequentes voces. *Ne occaſione reſervationis aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Concilii verba aliqui reſtringunt ad Sacerdotes Catholicos, aut nondùm manifeſta defectione, vel rebellione præciſos, veriùs tamen accipiuntur in ea generalitate, quam ſonant, ac ſignificant, ut etiam Navar. intelligit *cap.*27. *num.*172. qui priùs contrarium ſecutus fuerat, immemor, ut ipſe fatetur, Concilii. Etenim, ſicut verba illa, *Quoslibet pœnitentes, à quibuſvis cenſuris, & peccatis*, non patiuntur fieri exceptionem aliquam alicujus pœnitentis, peccati, vel cenſuræ, ita nec illa, *Omnes Sacerdotes*, alicujus Sacerdotis exceptionem patiuntur, etiam hæretici, ut optimè Reginald. *loc. cit.* Quapropter Nugnus, *ubi ſuprà*, improbabilem reputat opinionem à principio relatam. Suppoſitum noſtri hujus fundamenti, nempè Sacerdotem hæreticum eſſe capacem talis juriſdictionis in mortis articulo, patet, quia Sacerdotes hæretici ſacerdotalem per characterem Eccleſiæ, & Chriſto conjunguntur, falſumque eſt, fidem eſſe fundamentum juriſdictionis eſt enim character, atque adeò ſufficienter recipere poſſunt motum vitalem in ordine ad bonum fidelium, & Eccleſiæ; quamvis in ordine ad ſe, motus hujus incapaces ſint, cum fides ipſa vitæ ſpiritualis ſit principium, ſicut Cor initium eſt corporalis.

Ad primum, Hæretici, & Schiſmatici in mortis articulo licitè baptizare poſſunt, etiamſi tales maneant, ac impœnitentes, quia in tali adminiſtratione tempore neceſſitatis agere poſſunt, non ut perſonę ad hoc deputatæ, ſed ut neceſſitati ſubſervientes. At Sacramenta alia licitè miniſtrare non poſſunt, niſi ſaltèm in corde pœniteant, eo quod in aliorum Sacramentorum adminiſtratione neceſſarium eſt, ut ſe exhibeant, tamquam Chriſti Miniſtros ad hoc ſpecialiter deputatos, & conſecratos, ideoque ſe debent illi conformare per veram cordis converſionem.

Ad ſecundum, Sacerdos hæreticus non erit ſine culpa perplexus, at potiùs ratione culpæ, quia tunc hæreticus tenetur credere veram fidem, pœnitentiamque agere, ut Sacramentum conficiat, & pœnitere non vult. Concilium Conſtantienſe loquitur de illis, quę regulariter contingunt, non verò de mortis articulo.

Ad tertium, jam negavimus fidem eſſe fundamentum juriſdictionis requiſitæ ad abſolvendum Sacramentali in foro, aſſerentes, hanc fundari in poteſtate, & charactere ſacerdotali. Non admittimus ſimiliter Confeſſarium eſſe cauſam principalem, at dicimus, inſtrumentaliter ſolummodò concurrere ad cauſandam gratiam, Sacramentumque conficiendum. Hęreticus etiam influxum vitalem participare poteſt in ordine ad bonum fidelium, & Eccleſiæ, quamvis non in ordine ad ſe.

SECTIO III.

An hæreticus pœnitens in mortis articulo conſtitutus, omnique alio Sacerdote deſtitutus, confiteri debeat ſua crimina Sacerdoti hæretico?

VIdetur Hurtado *diſp.*84. *ſ*.141. quod non ſaltèm, ſi pœnitens, & Confeſſarius in eadem hæreſi reperiantur. *Primò*, Si hęreſis confitenda eadem eſſet cum illa, qua infectus eſt Confeſſarius, fruſtrà pœnitens confiteretur Confeſſario, qui cum putet, errore ſaltem culpabili, eam non eſſe peccatum, intentionem abſolvendi ab eo peccato non habebit, non putans, pœnitentem eo crimine ligatum eſſe; immò etiam ſi Sacerdos hæreticus promitteret, ac juraret, ſe intentionem habiturum, etiam circa peccatum illud, non eſt ei credendum.

Secundò. Hæreticus Eccleſiam, & pertinaciam contra illam contemnit; non debet igitur hæreticus pœnitens coram Sacerdote hæretico ſe accuſare dę hæreſi aliqua, ſeù, quòd pertinaciter contrà Eccleſiam erraverit, etiam ſi hæreſis diverſa eſſet ab ea, qua Confeſſarius laborat.

Tertiò. Infirmus in mortis articulo conſtitutus, confitendo ſua peccata Sacerdoti hæretico ſe ſe deceptionis periculo exponit; hæretici enim deceptores ſunt, & ut inquit Ambroſ. *Orat. in Auxentium, quos non poſſunt ſermone decipere eos. putant eſſe gladio feriendos. Cruentas leges ore dictant, & putant, quòd lex fidem poſſit hominibus imperare*. Hinc Socrates *Hiſt. Eccl. lib.p. cap.*3. refert Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, dicentem. *Par eſt, ut nos, qui ſumus Chriſtiani, omnes, qui contra Chriſtum loquuntur, animoque ſunt ab eo alienati, tamquam Dei hoſtes, & corruptores animarum devitemus*.

Reſpondeo. Hæreticus pœnitens in mortis articulo conſtitutus, omnique alio Sacerdote deſtitutus, hæreſim ſuam hęretico Sacerdoti confiteri tenetur, niſi periculum adſit deceptionis, aut defectus intentionis abſolvendi. Nugnus *in addit. ad* 3 *part. qu.*8. *art.*6. Card. de

Lugo

Lugo *de fide*, *diſp.*23. *ſect.*3. *à num.*107. Oviedo *controv.*11. *punct.*5. & alii. Error privatus Confeſſarii circa peccati gravitatem, malitiamvè, valori abſolutionis non nocet, ſi ritè ipſa poſteà proferatur, hæc ſiquidem in ſui valore non regulatur à dicto judicio privato. Quamobrem licèt Sacerdos hæreticus errore privato putet pœnitentem non eſſe ligatum peccato hæreſis, quod confitetur, adhuc tamen, ſi intentionem abſolvendi habeat, ſolvendique vincula omnia, quæcumque ſint, ex proceſſu, & confeſſione ſibi facta dependentia, abſolutio valida erit; ſicut Calviniſta baptizans, tametſi privato errore arbitretur, verba illius formæ eſſe ſolùm concionatoria, non operatoria, tamen, quia intentione magis univerſali, & efficaci baptizare intendit, juxtà Chriſti inſtitutionem, intentionemque habet proferendi verba illa juxtà eamdem inſtitutionem, Eccleſiæq; intentionem, Baptiſmus per ipſum collatus eſt validus. Sicut etiam Auguſt. *in Ep. ad Max.* docuit tenere baptiſmum hæreticorum ſui temporis, ac ſcriptum reliquit. *Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc Sanctæ Trinitatis ſigna ſuſceperit, quæ Chriſtiana tradidit diſciplina, omninò peccatum eſt*, & videri poteſt *de Conſec. diſt.*4. *Cap. Rebaptizare*. Exiſtimet hæreticus nullum eſſe baptiſmum inſtitutum, erroreque iſto ſuppoſito, ex intentione baptizandi, ſi fortè inſtitutus ſit baptiſmus, quem ipſe exiſtimat non eſſe, formam baptiſmi proferat, certè validè baptizabit. Sic hæreticus, qui judicat hæreſim peccatum non eſſe, ab illa abſolvere poterit, ſi intentionem habeat abſolvendi ab illa, ſi fortè peccatum ſit. Igitur ex hoc capite non excuſatur hæreticus pœnitens, ſi extrema in neceſſitate Sacerdoti hæretico non confiteatur. Si poſteà pœnitens, & Confeſsarius eadem hæreſi infecti non ſint, infirmus poteſt ſe accuſare, quòd contra Eccleſiam veram pertinaciter in tali materia erravit, non explicando, quæ, & qualis ſit Eccleſia vera. Oviedo *num.*103. ſentit, quòd pœnitens non debet explicare differentiam numericam hæreſis, ſed ſufficit dicere, ſe negaſſe unum fidei articulum abſque eo, quòd explicet; an Chriſti Aſcenſionem ad Inferos negaverit, aliudvè Myſterium. At tales poſſent adeſſe circumſtantiæ, ut neceſsarium eſset hæreſim hanc exprimere. Aſsertionem noſtram firmamus. In mortis articulo maximè urget præceptum confeſſionis, prout nunc ſuppono ex iis, quæ communiter tradunt Theologi, & Caſuiſtæ. Igitur conſtitutus in tali articulo tenetur propria crimina confiteri Sacerdoti, qui ipſum abſolvere poteſt. Diximus autem, Sacerdotem hæreticum in mortis articulo habere facultatem abſolvendi ab hæreſi. Si tamen eſset periculum deceptionis, ſecus eſt dicendum, & hoc periculum timeri debet, quia hæretici ſunt fraudulenti, ac deceptores; Hinc Auguſt. *de*

Cultu Agri cap. 7. Cavete dilectiſſimi fraudes hæreticorum, oves Chriſti timete inſidias Luporum. Et *de Cataclyſmo cap. 5. Magi Pharaonis ſignificant omnes hęreticos miniſtros Diaboli, qui ſub nomine Chriſti devorare cupiunt populum Chriſti.*

Ad argumenta patet reſponſio ex dictis; addimus ſolùm ad primum, quòd Confeſſarius hęreticus, qui putat, hæreſim pœnitentis non eſſe peccatum, dum audit pœnitentem, eam, tamquam crimen confiteri, judicare poteſt, pœnitentem ex conſcientia erronea peccaſſe, ac abſolutione indigere.

SECTIO IV.

An Laycus in mortis articulo abſolvere poſſit ab excommunicatione in hæreticos lata?

VIdetur Sylveſt. *v. Confeſſio p. §.* 6. Auilæ *de Cenſur. part. 2. cap. 7. diſp. p. dub.* 3. Valer. *de differ. utriſq; fori v. abſolutio differ. 13. num.* 2. Joan. de la Cruz *in Direct. part. 2. de Excom. dub. 4. concluſ. p.* quibus favere videtur Diana *part. 5. reſol.* 157. *tract.* 3. aliiſq; pluribus, poſſe. *Primò.* Laycus eſt capax hujus juriſdictionis, eſtq; valdè conveniens, quòd illam habeat, quia nimis utile eſt infirmo abſolvi, ſaltem ab excommunicatione, ne poſt mortem Eccleſiæ ſuffragiis, Miſſę Sacrificio, locoq; Sacro privetur, ideòq; dicendum, habere illam in mortis articulo, Eccleſiamq; ob benignitatem ſuam, & favorem animarum hanc Layco conceſſiſſe; Summiq; Pontificis mentem eſſe tali in articulo concedere ipſam omnibus, qui illius capaces ſunt, ſicuti propter hanc rationem ſimplex Sacerdos in mortis articulo à peccatis abſolvere poteſt.

Secundò. Pœnitens in mortis articulo peccata ſua confiteri poteſt Layco. *Cap. Quam pœnitet, diſt. p. de pœnit.* Et Auguſtinus ad Fortunatum refert, naufragum quemdam in mortis articulo per Laycum fuiſſe reconciliatum. *Cap. Sanctum, diſt. 4. de Conſec.* Addentes ad Panorm. *Cap. Quòd non poteſt, de regul. jur. lib. 5.* ſcribunt, quòd Laycus tempore neceſſitatis poteſt à peccatis abſolvere. Igitur multò magis ab excommunicatione, ac cenſuris.

Tertiò. Non eſt minoris neceſſitatis Pœnitentiæ Sacramentum, quàm Baptiſmi; Laycus autem neceſſitatis tempore baptizare poteſt. *Cap. Conſtat, de Conſec.* Laycus etiam in mortis articulo, quando Clericus haberi non poteſt, facultate gaudet concedendi Indulgentiam Plenariam Bullæ Cruciatę. Navar. *de Indulg. not.* 30. *nu.* 9. Ergo abſolvere poteſt etiam ab excommunicatione.

Reſ-

Reſpondeò. Hæreticus in mortis articulo conſtitutus non poteſt per Laycum abſolvi ab excommunicatione. Sotus *in 4. diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 4. *verb. Utrum verò*. Covaru. *in Cap. Alma Mater part. pr.* §. 11. *num.* 9. *de ſent. excomm.* Navar. *in Man. cap.* 26. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 5. Nugnus *in addit. ad* 3. *part. q.* 8. *art.* 6. *dub.* 5. Suarez, *de Cenſur. diſp.* 7. *ſect.* 6. *num.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 133. Delbene *dubit.* 65. Card. de Lugo *de fide diſp.* 23. *ſect.* 3. *à nu.* 111. & alii. Probo hanc veritatem ſic diſcurrendo. Vel Laycus poteſtatem hanc habet à jure, vel ex conſuetudine, aut ex implicita voluntate Summi Pontificis. *Non à jure*, quia nullibi invenitur conceſſa, & Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. illam ſolis Sacerdotibus concedit, inquiens. *Ne occaſione reſervationis aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atq; ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt*. Ratio à Sancta Synodo adducta vim non habet in Layco; quia ſine abſolutione à cenſura quis ſalvari poteſt, ſi contritionem habuerit, ſine contritione autem abſolutio à cenſura nihil prodeſt. *Non ex conſuetudine*, quia non ſolent Layci in mortis articulo hæreticos ab excommunicatione abſolvere, etiam in defectu omnis Sacerdotis. Etſi talis conſuetudo extaret, nulla eſſet. Fagnan. *Cap. Cum contingat, de foro compet. cap.* 9. ſcribit, quòd Laycus ex conceſſione Apoſtolica abſolvere poteſt ab excommunicatione. Gloſs. *in Extravag. Suſcept. Joan.* 22. *de elect.* tamen id nequit in vim conſuetudinis, atq; præſcriptionis utcumq; vetuſtiſſimę. *Cap. Decernimus cum ibi not. de Judic.* Nam teſte Joan. Andr. *Cap.* 2. *de Præb. in* 6. quantumcumq; longo tempore Laycus exercuerit actum ſpiritualem, numquam tamen illum poteſt præſcribere, quoniam poſſeſſio temporis, cujus initii non eſt memoria, habet vim tituli, quando datur capacitas in exercente, alias non. Quod verò neq; ex implicita Eccleſiæ, Summiq; Pontificis voluntate, ſuadetur. Ubi Eccleſia voluit Laycum exercere aliquod Eccleſiaſticum, id expreſſit, ut patet in baptiſmo, & in his, quæ ad Clericos ſpectant, id ſolùm eſt licitum Laycis, quod conceſsum eis à jure ſpecificè invenitur. Non militat eadem ratio de Sacerdote, & Layco, ut poſſit argui implicita voluntas Eccleſiæ pro conceſſione hujuſmodi facultatis Laycis. Reſervatio cenſurarum, peccatorumq; quo ad Sacerdotes in mortis articulo tendit in animarum detrimentum, ſiquidem eſse poteſt, & frequenter advenit, ut quis in tali articulo attritionem habeat, propter quam, mediante Sacramento Pœnitentiæ, efficitur contritus, ac Dei amicus, qualis non fieret, ſi confiteri non poſſet, non habens Confeſſarium à reſervatis culpis abſolventem. Non Sacerdos verò, cum à criminibus abſolvere nequeat, ſi abſolvere à cenſuris non poſſit, parum, aut nullum,

eſſen-

eſſentiale ſaltem detrimentum afferre poteſt excommunicatis. Etenim moriturus, vel in contumacia perſiſtit, vel conteritur. Si primum, talis excommunicatus perditur, non obſtante abſolutione ab excommunicatione ei impenſa. Si conteratur, quoad Deum abſolutione non indiget, cum per contritionem à culpa, & crimine abſolvatur, & quis poteſt eſſe excommunicatus quo ad Eccleſiam, ſed ſolutus, & in gratia apud Deum. Ad majorem etiam cenſuræ exiſtimationem pertinet, quòd ejus abſolutio non ab alio, quàm à Sacerdote, ſine conceſſione ſpeciali, conferatur, præſertim, quia raró accidit, ut Sacerdos haberi non poſſit, etſi accidat, poterit moriturus per contritionem à peccatis ſuis liberari, ac poſt mortem à cenſuris abſolvi, ſaltem impropriè, inquantum ſufficiat, ut in loco Sacro ſepeliri poſſit, & pro ipſo ab Eccleſia publicè orari. Quæ diximus de Layco, intelligi debent etiam de Clerico ſimplici non Sacerdote, quoniam etiam de iſto motiva adducta concludunt. Duard. *lib.* 3. *ſ.* 2. *q.* 3. etiamſi eſſet Vicarius Epiſcopi, quidquid in contrarium ſentiant Ugolin. *in Explic. Bullæ Cœnæ, verſic. Niſi in mortis articulo, ſ.* 2. *num.* 3. & Sayr. *lib.* 2. *Theſaur. tom. p. cap.* 21. *num.* 2.

Ad primum, falſum eſt facultatem abſolvendi ab excommunicatione in mortis articulo conceſſam eſſe omnibus, qui illius capaces ſunt, aliàs ſequeretur conceſſam eſſe fœminæ, cum & Fœminæ Summus Pontifex illam communicare poſſit, Suarez, *de Cenſur. diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.* 7. aliis relatis, & etiam homini non baptizato. Nec tanti refert quòd in loco Sacro ſepeliri debeat, & poſſit, quoniam aliquando expedit, mortuum in his puniri, ut cenſuræ timeantur, quæ ad hunc effectum ordinatæ ſunt, ut fideles à gravioribus ſceleribus terreantur. Caſu verò, quo locum habeat favor, excommunicatus poteſt abſolvi etiam poſt mortem, & ſic in loco Sacro ſepeliri, & pro ipſo orari. Imò nonnulli ſentiunt, excommunicatum, qui contritionis ſigna dedit, frui generalibus Eccleſiæ ſuffragiis, quoniam non eſt veriſimile, Eccleſiam velle privare ſuis ſuffragiis membrum vivum, fide, & charitate ſibi conjunctum, & obedientem, per quem non ſtat, quominus à cenſura abſolvatur; aliàs excommunicatio, quoad hunc effectum, injuſta eſſet, cum pertineat ad ſpirituale detrimentum, ideòq; durare non debet, niſi quandiù vera cauſa ex parte hominis permanet. Ricard. *diſt.* 18. *art.* 7. *q.* 2. Hoſtienſ. *in Cap. Cum voluntate, de ſent. excomm.* Turrecrem. *in Cap. Si quis Epiſcopus* 11. *q.* 3. D. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 76. & alii relati per Duardum *lib.* 3. *ſ.* 2. *q.* 6. etſi Suarez contrarium doceat, *de Cenſur. diſp.* 9. *ſect.* 3.

Ad ſecundum, Laycus abſolvere non poteſt Sacramentaliter. Reconciliatio, de qua in *Cap. Sanctum de Conſec. diſt.* 4 non fuit vera abſo-

lutio

lutio à cenſuris, multòq; minus Sacramentalis à peccatis, ſed deprecatoria oratio hominis jam membrum Eccleſiæ per baptiſmum effecti, ut Deus attendens animum, deſideriumq; pœnitentis, etiam ſine Sacerdotis miniſterio reconciliationem tribueret. Hiſtoria illa de naufragio ibi relata à Divo Auguſtino, eſt incerta, prout ipſe litterarum Pater fatetur, dicens. *Quòd, ſi fortè hoc, quod narravi de iis, qui naufragio imminente periclitabantur, non vult aliquis credere, non enim lux divinarum Scripturarum auctoritas, ſed incerto Auctore fama commendat, non repugnabo.* Non obſtat, imò favet, *Cap. Quem pœnitet, de pœnit. diſt. p.* habetur ſiquidem, Laycum non habere poteſtatem abſolvendi. *Tanta eſt vis confeſſionis, ut, ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proxim. Sæpè enim contingit, quòd pœnitens non poteſt verecundari coram Sacerdote, quem deſideranti, nec tempus, nec locus offert. Etſi ille, cui confitebatur, poteſtatem abſolvendi non habeat, ſit tamen dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis.*

Ad tertium dicimus, non valere in his materiis argumentum à ſimili, ſed ſtandum eſt conceſſis, & expreſſis; quodq; non eſt expreſſum, cenſetur omiſſum. De Baptiſmo expreſſum eſt.

SECTIO V.

An Sacerdos quilibet in mortis articulo abſolvere poſſit hæreticum, etiamſi præſens ſit Superior, qui habet facultatem abſolvendi ab hæreſi.

Videtur, quòd ſic Sylveſt. *v. Confeſſor. p. q.* 20. Tabien. *v. Abſolutio p. num.* 32. Armillæ *eod. v. num.* 12. Petro de Ledeſma, *tom. p. tract. de Sacram. Pœnit. cap.* 14. *diſp.* 2. Barboſæ *in remiſſ. Concil. v. Nulla ſit reſervatio, & de poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 25. *num.* 50. aliiſq; pluribus.

Primò. Sacerdotes omnes in mortis articulo ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. habent facultatem abſolvendi à caſibus, cenſuriſq; reſervatis, taliſq; facultas limitata non eſt per Concilium ad caſum, in quo Superior abeſſet: ideòq; nec nos debemus talem limitationem apponere, cum ſimus in favorabilibus.

Secundò. Sacerdos excommunicatus, hæreticus, ſuſpenſus, vel interdictus, præſente Catholico Sacerdote, non habente hujuſmodi vincula, & exceptiones, abſolvere poteſt infirmum in mortis articulo conſtitutum, quia verè eſt Sacerdos; ſaltem validè abſolvit. Igitur à fortiori Sacerdos ſimplex, & quilibet alius Catholicus abſolvere poterit, præſente Superiore, hæreticum in mortis articulo.

Tertiò.

Tertiò. In mortis articulo nulla eſt reſervatio, quæ in favorem animarum ceſſat; ut inquit Tridentinum, *ubi ſuprà*. *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis*. Quapropter Superior in tali articulo nullum habet jus abſolvendi ægrotum, ſed omnes abſq; ipſius injuria illum abſolvere poſſunt.

Reſpondeo. Simplex Sacerdos præſente Confeſſario approbato, & Confeſſarius approbatus in præſentia Parochi, & iſte, dum adeſt Epiſcopus, vel Inquiſitor, aliuſvè habens facultatem abſolvendi ab hæreſi, abſolvere nequit infirmum in articulo mortis. Sotus *in 4.diſt.* 18.*q.* 4. *art.* 4. Alter. *lib. p. de Cenſur. diſp.* 6. *cap.* 6. Nugnus, & Silvius *in addit. ad* 3. *part. q.* 8. *art.* 6. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub.* 7. Reginald. *in Praxi fori pœnit. lib. p. cap.* 7. Bonac. *de Sacram. diſp.* 5. *q.* 7. *punct. p. num.* 10. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 13. *num.* 7. Azor. *lib.* 8. *cap.* 19. *q.* 5. aliiq; plures. Ratio eſt, quoniam poteſtas abſolvendi à caſibus, & cenſuris conceſſa fuit Sacerdotibus omnibus in mortis articulo, ne occaſione reſervationis fidelium animæ detrimentum aliquod patiantur, ſeù *ne hac occaſione aliquis pereat*, ut exprimit Tridentinum; ideòq; ſolùm in neceſſitate, atq; ſubſidium data fuit, & neceſſitate ceſſante conceſſa non cenſetur, juxtà ea, quæ tradit Abbas *Cap. Cum venerabilis*, *de Cenſur. in fine*, inquiens. *Cum aliquid conceditur propter neceſſitatem, durat conceſſio ſolùm, quatenùs urget neceſſitas*, *Cap. De Syracuſanæ diſt.* 28. Præſente Epiſcopo, Inquiſitore, aliovè habente facultatem abſolvendi ab excommunicatione in hæreticos lata, non eſt neceſſitas, ut Parochus abſolvat infirmum, & dum adeſt Sacerdos proprius, non eſt periculum, quòd pereat anima, ſi non impendat abſolutionem ille, qui non eſt Parochus; idemq; dicitur de Sacerdote ſimplici, dum approbatus eſt præſens. Favet. *Cap. Præsbiter* 26. *q.* 6. deſumptum ex Concilio Carthaginenſi 3. *Can.* 32. ubi dicitur. *Præsbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet Pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, ultima neceſſitas cogat*; decernens, quòd neq; in extrema neceſſitate pœnitens reconciliari à Præſbytero poſſit, niſi Epiſcopus abſit, quoniam talis reconciliatio Epiſcopo reſervata erat. Igitur, ſi in mortis articulo adſit infirmo Inquiſitor, vel Epiſcopus, qui in foro judiciali abſolvere poſſunt ab hæreſi, alii Sacerdotes validè abſolvere nequeunt, & ſub hoc tenore loquitur etiam Royas *part.* 2. *de hæret. num.* 320. *aſſert.* 38. ubi ponit ſequentem aſſertionem. *Hæreticos morientes à quolibet Sacerdote, non exiſtentibus Inquiſitoribus, abſolvi poſſe*, ſubdens. *In Concil. Arauſic. Can.* 2. *Expreſsè habetur, quòd, ſi deſunt Inquiſitores in extremo periculo, quilibet Sacerdos hæreticum poſſit abſolvere, & non aliter*. Acceſſit declaratio Concilii Tridentini, quam referunt Barboſa, & Delbene, & eſt. *Congregatio cenſuit, Sacerdotem aliòqui idoneum, ſi tamen ad audiendas confeſſiones approba-*

probatus non ſit, juxtà Cap. 15. *ſect.* 23. *non poſſe validè à peccatis mortalibus abſolvere Pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, ubi Parochus præſens jam prohibeatur, paratuſq; ſit infirmi audire confeſſionem, illumq; abſolvere, neq; ulla ſubſit cauſa Parochum ipſum recuſandi*; & idem declaravit Gregorius XIII. Videatur Molina *de juſt. & jure tom* 4. *diſp.* 63. *num.* 2. In *Cap. Ea noſcitur, de ſent. excom.* dicitur, quòd etiam poſt abſolutionem ab alio datam, propter neceſſitatem urgentem, comparendum eſt coram Pontifice, vel ejus Legato, ſi fieri poteſt: Undè multò magis ab initio, ſi abſolutio ab habente facultatem abſolvendi à reſervatis obtineri poteſt. Duard. *lib.* 3. §. 2. *q.* 5. Suffragatur Catechiſmus Rom. *part.* 2. *c.* 5. *q.* 48. & Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum habet. *Si periculum mortis immineat, approbatuſq; deſit Confeſſarius; quilibet Sacerdos poteſt à quibuſcumq; cenſuris, & peccatis abſolvere*. Prudenter tamen ſubdit Sylvius, *ubi ſuprà*, non oportere ſimplicem, inferioremvè Sacerdotem eſſe nimis ſcrupuloſum in examinando, utrum infirmus, qui eſt in mortis periculo, poſſit mente ſanus ſupervivere, donec adveniat, qui extrà illum caſum legitimus eſt ejus Confeſſarius, vel facultas obtineatur à Superiore; ſed ſi de hac re ſit dubiũ, bona fide infirmi confeſſionem audiat, eumq; abſolvat; non enim eſt mens Eccleſiæ reſervare caſus cum tanto pœnitentis periculo. Si autem pro certo conſtet Confeſſario, quòd, antequam mortale periculum mortis adſit, adfuturus ſit Inquiſitor, Epiſcopus, vel alius, qui habet facultatem abſolvendi ab excommunicatione hæreſi annexa, qui abſolutionem præſtet, ceſſabit privilegium abſolvendi; ceſſat enim tunc neceſſitas, cum infirmus non ſit in periculo moriendi ſine abſolutione legitima. Covaru. *Cap. Alma part. p.* §. 11. *nu.* 8. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 13. Delbene *dubit.* 60. *num.* 4. & alii. Si Sacerdos ſimplex, vel alius approbatus, antequam Inquiſitor adveniat, jam confeſſionem morituri incœperit, ſentio infirmum adhuc abſolvendum à cenſura excommunicationis in foro externo per Inquiſitorem, ſicuti Sylvius docet de omnibus peccatis habentibus cenſuram annexam, quòd ſi ſuperveniat ille, cui cenſura reſervata eſt, pœnitens, vel per ſe, vel per alium debet ſe Superiori ſiſtere, priùſquam abſolvatur; quidquid in contrarium alii ſentiant.

Ad primum, ſufficienter Tridentinum conceſſionem facultatis hujus limitavit, dum dixit. *Ne hac occaſione aliquis pereat*; per quæ verba expreſſit, Eccleſiam poteſtatem iſtam tribuere Sacerdotibus in caſu neceſſitatis, dum adeſt periculum, quòd infirmus moriatur abſq; abſolutione; ceſſat verò neceſſitas iſta, quando adeſt Superior, vel Parochus; vel Confeſſarius approbatus reſpectivè. Sacerdos igitur proprius ſemper eſt præferendus, non proprio; approbatus, etiam, in aliena Diœceſi,

 non

non approbato; Catholicus Sacerdos ſimplex hæretico, vel degradato, excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto. Videatur Nugnus *loco cit.* Sacerdotem hæreticum non toleratum invalidè abſolvere, ſi adſit Sacerdos toleratus, etiam ſimplex, & non approbatus, docent Suarez 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 13. *nu.* 7. Delbene, *ubi ſuprà nu.* 20. quia hæreticus, & non toleratus omni juriſdictione privatus eſt, quando non adeſt maxima neceſſitas, & ex his patet reſponſio ad ſecundum.

Ad tertium, quando Tridentinum dixit, in mortis articulo nullam eſſe reſervationem, intelligendum eſt in abſentia reſervantis, ejuſq; qui habet facultatem abſolvendi à reſervatis, ſeù in caſu neceſſitatis, quando eſt periculum, ut infirmus ſine abſolutione moriatur, ut diximus.

SECTIO VI.

An hæreticus in mortis articulo conſtitutus, ſi poſſit, teneatur mittere ad Inquiſitorem, vel alios Superiores pro abſolutione?

VIdetur, quòd non Cordubæ, *in Sum. q.* 18. Valentiæ *tom.* 4. *diſp.* 8. *q.* 10. *punct.* 2. Henriquez *lib* 6. *de Pœnit. cap.* 9. *nu. ult. & cap.* 11. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 13. *num.* 14. Suarez *de fide diſp.* 21. *ſect.* 4. *num.* 5. Trullench. *lib. p. in Decal. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 8. Palao, Delbene *dubit.* 62. aliiſq; pluribus, quorum ſententia probatur.

Primò. In *Cap. Quamvis de ſent. excom.* dicitur, quòd ad obtinendam abſolutionem ab excommunicatione Summo Pontifici reſervata ſufficit, & ſolùm requiritur, ut quolibet impedimento canonico retraharis, quominus Romanum Pontificem poſſis adire: Nam, ſi Superiorem adire non poſſis pro abſolutione obtinenda, reputatur tibi abſolutio illius omninò impoſſibilis, etſi per ſe illum adire non potes, non cogeris adire per alium.

Secundò. Qui non poteſt adire Superiorem perſonaliter, quamvis ad eum Procuratorem mittere poſſit, cenſetur legitimè impeditus. Navar. *in Sum. cap.* 27. *num.* 90. Sayr. *in theſaur. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 3. & Doctores communiter; qui autem eſt legitimè impeditus in articulo mortis ab inferiori Sacerdote abſolvi poteſt; nec jure aliquo habetur, quòd, qui non poteſt ſe præſentare Superiori per ſemetipſum, teneatur illum adire per tertiam perſonam.

Tertiò. Pœnitens non tenetur ſe præſentare Superiori per Procuratorem, quia hoc medium includit manifeſtare alteri à Confeſſario tuam con-

conſcientiam, qua de cauſa numquam jura delinquentem obligarunt, ſe Superiori præſentare per Procuratorem, ſed per ſe ipſum. Nec tenetur ad medium Scripturæ, media qua repreſentet Superiori, quia, & hoc medium eſt de ſe manifeſtativum delicti aliis; qua de cauſa excuſaris peccata ſcribere, tametſi alia via in mortis articulo confiteri non poſſis. Neque teneris ad medium Confeſſarii, qui nomine ſuo obtineat à Superiore facultatem abſolvendi, quia hoc eſt medium alienum à reſervatione, ipſamque reſervationem tollens. Neque teneris ad medium, quo voces Superiorem, cui venienti, & præſenti delictum manifeſtare, & abſolutionem ab illo obtinere poſſis, aliàs eſſet tibi impoſitum præceptum de gravando Superiore; taleque medium raro exequi poteris ſine nota famæ, caſu, quo Superior annuat petitioni tuæ. Igitur conſtitutus in mortis articulo non tenetur mittere ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem pro abſolutione ab hæreſi.

Reſpondeo, Lupum *p.p. Edicti lib. 7. diſt. 3. art. 33. diffic. p.* reſolvere hanc quæſtionem, dicendo, attendendam eſse loci conſuetudinem, propterea, ubi ipſa viget, ut exiſtentes in mortis periculo mittant pro abſolutione ad Inquiſitorem, illam obſervari non eſt incongruum, tùm pro majori pœnitentium conſolatione, tùm quia ſic nulla infamiæ nota incurritur. Sed non attingit punctum difficultatis, quoniam non quæritur, an ſit congruum, vel incongruum mittere ad Inquiſitorem, ſed controverſia eſt; Num conſtitutus in mortis articulo teneatur mittere ad Inquiſitorem, itaut ab alio abſolvi nequeat pro tempore, quo ad Inquiſitorem mittere poteſt. Hoc unum eſt certum apud omnes, infirmum in mortis articulo conſtitutum non teneri mittere ad Inquiſitorem, quandò adeſt periculum infamiæ, ſalutis, aut gravis incommodi, ſiquidem credibile non eſt, Eccleſiam velle obligare cum tanto incommodo. Difficultas eſt. An caſu, quo ſine periculo iſto infirmus poſſit mittere ad Inquiſitorem. Sentirem caſu, quo Epiſcopus, & Inquiſit. abſolvere poſſent in foro conſcientiæ, aut alteri committere talem abſolutionem, quòd ſi facilis ſit aditus ad Epiſc. vel Inquiſitorem, infirmus priuſquam abſolvatur, ad ipſum mittere teneatur, nec abſolvi poſſit per alios pro tempore illo, quo mittere pro abſolutione ad ipſos poteſt. Zambran. *de caſibus art. mort. cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 15. Bonac. *de Cenſur. in com. diſp. p. qu.* 3. *punct.* 3. *num.* 5. & alii ſuppreſſo nomine relati à Lupo *ubi ſupra*. Nam Sacerdotes omnes, & Confeſſarii habent privilegium abſolvendi in mortis articulo ſolùm, quandò deeſt copia Superioris, vel habentis facultatem abſolvendi à reſervatis; dum autem facilis eſt aditus ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem, nec timetur infamia, vel grave aliud incommodum, non cenſetur deeſſe copia Confeſſarii. Nihilominùs conſiderans, Epiſcopum, & Inquiſitorem abſolvere non poſſe

in foro conſcientiæ, ſed tantùm in foro judiciali; aſſero, infirmum conſtitutum in mortis articulo, non teneri mittere ad Inquiſitorem pro abſolutione. Ratio eſt, quia hæreticus in foro conſcientiæ non tenetur petere aliquandò ab Inquiſitore, vel alio abſolutionem in foro judiciali, nec tenetur ſeipſum denunciare, ac prodere. Cum igitur non teneatur per ſe ipſum adire Superiorem pro tali abſolutione, cur obligandus eſt ad ipſam petendam per alium? Non eſt eadem ratio de Superiore, qui poteſt abſolvere, vel committere abſolutionem in foro pœnitentiali, quoniam ſi pœnitens velit eſſe abſolutus, tenetur vel per ſe, vel per alium coram ipſo comparere, ſicut hæreticus debet comparere, vel mittere ad primum Pœnitentiarium, aut Sacram Congregationem, vel Summum Pontificem pro abſolutione in foro conſcientiæ, & ſine horum licentia, ſeù commiſſione extra mortis articulum abſolvi nequit. Hinc cenſeo, quòd hæreticus pœnitens Romæ in mortis articulo conſtitutus pro tempore illo, quo à Summo Pontifice, Sacra Congregatione, vel Majori Pœnitentiario abſolutionem petere poteſt, abſolvi nequeat propter rationem jam adductam, nimirùm, quia non deeſt tunc copia Superioris, & pœnitens, ſi convaleſcat, habet præceptum ſe præſentandi, quamprimùm poteſt, eiſdem pro abſolutione. Undè, ſi pœnitens poteſt hoc per litteras, vel per Confeſſarium præſtare antè abſolutionem, videtur obligandus ad hoc præſtandum, & ſi renuat, non videbitur diſpoſitus hoc exequi, ſi convaleſcat. Sed loquendo de Inquiſitore, cum iſte non habeat facultatem abſolvendi, niſi hæreticus deponat judicialiter coram Notario, & abjuret coram teſtibus, & ad hoc non teneatur extrà articulum mortis, niſi caſu, quo Summus Pontifex nolit eum abſolvere, niſi judicialiter deponat, neque ad talem depoſitionem obligetur in mortis articulo, ſi convaleſcat, quia non poteſt fieri abſque nota aliqua famæ, poterit Confeſſarius moriturum abſolvere, etiamſi poſſit, & non mittat ad Inquiſitorem. Totum hoc currit de hæretico occulto, qui etſi judicialiter non abſolvatur, adhuc ſepellitur in loco ſacro. Sed quid, ſi hæreticus ſit manifeſtus? Videtur mihi dicendum, non eſſe abſolvendum ſacramentaliter, niſi prius in foro judiciali ab excommunicatione judicialiter per Inquiſitorem, vel alium de ejus commiſſione abſolvatur, ſi commodè, ac facilè recurſus ad Inquiſitorem haberi poſſit, quoniam talis debet ſatisfacere Eccleſiæ, quam offendit, eique judicialiter reconciliari, taleque judicium fieri debet per Epiſcopum, vel Inquiſitorem, ideòque ſi moriturus tempus habeat mittendi ad ipſos pro tali abſolutione tenetur, nec tunc apparere poteſt periculum infamiæ, cum ejus delictum ſit manifeſtum. In ultimo autem vitæ periodo Confeſſarius quilibet illum abſolvere poſſet.

Ad

Ad primum, quod adducitur ex illo *Cap. Quamvis*, locum non habet in hæreticō, qui pro abſolutione obtinenda non tenetur ſe præſentare perſonaliter Summo Pontifici, ſed ſufficit, ut per Procuratorem, vel per litteras mittat: Hinc, quamvis Summum Pontificem adire nequeat perſonaliter, adhuc alia via abſolutionem à Superiore petere tenetur. In jure non habetur, quòd excommunicatus perſonaliter debeat comparere coram Summo Pontifice, niſi excommunicatus ſit ob percuſſionem Clerici.

Ad ſecundum eodem modo reſpondetur. Quandò jus petit, ut excommunicatus perſonaliter compareat coram Summo Pontifice, ſi legitimè impeditus ſit, ne perſonaliter ipſum adire poſſit, ad aliud non tenetur, ut diximus de excommunicato ob Clerici percuſſionem. At hęreticus non obſtringitur ad perſonaliter comparendum, ſed ad petendam abſolutionem à Superiori, cui reſervata eſt excommunicatio, & qui abſolvere poteſt: Et ſi per ſe ipſum comparere non poteſt, tenetur abſolutionem petere per alium, modo ſibi poſſibili, nec eſt impoſſibile hæretico abſolutionem impetrare per medium, ut modò dicam.

Ad tertium dicimus, pœnitentem hæreticum poſſe adire Superiorem per litteras abſque periculo infamiæ, vel alicujus gravis incommodi, & per libellum ſupplicem, ſuppreſſo nomine ipſius delinquentis, & via iſta petendi abſolutionem ſatis facilis eſt, in praxi, ac tuta; Nec eſt ſimile, quandò ſcribuntur peccata; tunc enim fieri poteſt, ut litteræ amittantur, vel ab alio aperiantur; ſed in caſu noſtro periculum iſtud cavetur per ſuppreſſionem nominis pœnitentis. Quodnam conſilium præbetur hæretico occulto, qui ad mentem rediit, & ab Epiſcopo, Inquiſitore, aut alio abſolutionem in foro conſcientiæ obtinere non potuit? Dicunt Theologi, quòd poteſt per viam Pœnitentiariæ, non detectọ ſuo nomine, ad Summum Pontificem mittere, ut ſui abſolutionem alicui committat, libellumvè ſupplicem Sac. Congregationi S. Officii ſub nomine N. N. porrigere ad eundem effectum. Praxis oſtendit, medium iſtud non eſſe pœnitenti hæretico impoſſibile, quotidiè ſiquidem videmus executioni demandari. Cum hæreſis ſtrictiſſimæ reſervationis ſit, obligandus eſt hæreticus pœnitens, quotieſcumque habet commodum adeundi, vel per ſe, vel per alium Superiorem, qui poteſt dare, vel committere abſolutionem ad comparendum eo modo, quo poteſt, coram ipſo, nec collaudare poſſum Theologos, qui nimis faciles ſunt ad liberandum hæreticum ab onere obtinendi abſolutionem à Superiore, & de excommunicatione annexa hæreſi diſcurrunt, ſicuti de aliis, cum tamen Summi Pontifices, Sacræque Congregationes toties expreſſerint, hæreſim ob ſuam enormitatem,

tatem, ac gravitatem eſſe ſpeciali reſervatione dignam.

SECTIO VII.

An hæreticus perpetuo impedimento ægritudinis, paupertatis, ſervitutis, vel hujuſmodi detentus, nè poſſit adire Summum Pontificem, à Confeſſario quolibet abſolvi poſſit?

Videtur aliquibus, quos refert, ac ſequitur Delbene *dubit.* 61. poſſe. *Primò*. Conſtitutus in neceſſitate obtinendi abſolutionem à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt, ille autem qui dictis impedimentis detentus perſonaliter comparere nequit coram Summo Pontifice, eſt in neceſſitate, quia moraliter certus eſt, non poſſe ante mortem abſolutionem obtinere à legitimo Superiore; qua propter à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt, ne ſine abſolutione moriatur, & quamvis talis neceſſitas non ſtatim urgeat, ſed latitudinem habeat, non tollit, quominùs vera neceſſitas ſit.

Secundò. In *Cap. Eos, qui, de ſent. excom. in* 6. abſolutis, ob mortis periculum, vel aliud impedimentum à cenſura Pontifici reſervata, injungitur onus comparendi coram legitimo Superiore. Et *Cap. ea noſcitur*, & *Cap. Quòd de his, de ſent. excom.* dicitùr, ſic impeditos abſolvi poſſe, ac ſi eſſent in mortis articulo conſtituti. Si dicas, textus hos ſpecialiter loqui de excommunicatione incurſa ob Clerici percuſſionem; In contrarium eſt, quoniam eſt eadem ratio in omnibus excommunicationibus reſervatis, ut tradunt communiter Doctores. Abbas *in Cap. De cætero num. p. de ſent. excom.* Felin. *in Cap. Quamvis eod. tit.* & alii.

Tertiò. Plures Doctores, ut Ancharan. *in Cap. Eos, qui, de ſent. excom. num.* 9. Felin. *Cap. Quamvis, eod. tit. in fi.* Silveſt. *v. Abſolutio* 3. *circa fi.* Navar. *cap.* 27. *num.* 84. Covar. *in Cap. Alma Mater part. p. §. p. num.* 15. & alii plures tenent, propter infirmitatem, ſenectutem, vel inimicitias impeditum, quominùs adire poſſit Summum Pontificem, poſſe abſolvi ab Epiſcopo de quacumq; excommunicatione Summo Pontifici reſervata. Igitur hæreticus pœnitens dictis impedimentis detentus, ſaltem ab Epiſcopo abſolvi poterit in foro conſcientiæ.

Reſpondeo. Hæreticus pœnitens impeditus adire Summum Pontificem, ob ægritudinem, ſenectutem, paupertatem, ſervitutem, ſexum, inimicitias, vel quid ſimile, non poteſt per Confeſſarium quemlibet abſolvi, & impedimenta iſta non veniunt ſub nomine articuli mortis. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art. in fine*. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 37. Suarez *de fide diſp.* 21. *ſect.* 4. *num.* 26. Ricciull. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 15. Vivald. *in Candelab. part. p. tit.* 11. *de abſol. num.* 14. & alii.

Digitized by Google

alii. Reſervatio hæreſis eſt ſtrictiſſimi juris, & de ipſa loquuntur Summi Pontifices; Conſtitutioneſq; cum ſpecialitate, itaut facultas abſolvendi ab hæreſi conceſſa non cenſeatur, niſi expreſſa ſit, & nuſquam venit ſub generali conceſſione etiam facultatis abſolvendi à Cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, ut patet ex ſupradictis. Igitur extendenda non eſt ad caſus non expreſſos, nec à ſimili ab aliis excommunicationibus fieri poteſt argumentum ad excommunicationem hęreſi annexam. Jura, & Bulla Cœnæ concedunt facultatem abſolvendi ab hæreſi ſolùm in mortis articulo, & in Decreto Clem. VIII. dato ſub *die* 9. *Jan.* 1601. prohibetur Regularibus abſolvere ex quacumq; cauſa à caſibus Bullæ Cœnæ, etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo. Hinc non licebit extenſionem facere ab excommunicatione contracta ob percuſſionem Clerici ad excommunicationem in hæreticos latam, cum neq; neceſſitas alterius temporis æqualis ſit, neq; alibi talis poteſtas tribuatur Sacerdotibus; excommunicatioq; illa non ſit ſtrictiſſimę reſervationis, ſicut iſta. *Inſuper*. Quando excommunicatio reſervatur, præterquam in articulo mortis, excommunicatus abſolvi nequit à Confeſſario quolibet propter impedimentum perpetuum ęgritudinis, ſenectutis, ſervitutis &c. Sylveſt. *v. Abſolutio q*. 4. *nu*. 7. Corduba *in Sum. q*. 18. *punct. p. dict*. 3. *poſt not*. 3. & alii. Excommunicatio autem in hæreticos lata eſt reſervata pręterquam in mortis articulo, ut diximus. Nec doctrina, ſuper qua ſe fundant Palaus, Delbene, aliiq; contrarium opinantes, eſt certa, & in caſu hæreſis non eſt tuta, ut ſentiunt Sotus, *ubi ſuprà*, Bartholom. de Ledeſma *de Sacram. ubi de excom. dub*. 17. & alii; textus enim id indulgentes, de ſola percuſſione Clerici loquuntur, & ideò in ſola ea illam admittunt Innoc. *Cap. Quamvis in fine*, *de ſent. excom.* Ancharan. *ibid. num. p.* & alii. Non eſt eadem ratio de excommunicatione ob Clerici percuſſionem, & de annexa hæreſi, quia excommunicatus percuſſor Clerici tenetur comparere perſonaliter coram Summo Pontifice, hinc ſi impeditus ſit impedimento perpetuo, excuſatur ex impotentia obtinendi abſolutionem à Summo Pontifice. Sed hæreticus non eſt obſtrictus ad comparendum perſonaliter, ſed ad petendam abſolutionem à Summo Pontifice, modo ſibi poſſibili. Et quia habens impedimentum aliquod perpetuum ex prędictis, adhuc alia via obtinere poteſt abſolutionem à Summo Pontifice, vel per viam Pœnitentiariæ, vel per Sac. Congregationem S. Officii, ideò non cenſetur in neceſſitatis articulo ad effectum, ut à quolibet Confeſſario abſolvi poſſit. Si dicas, impoſſibilem eſſe hęretico abſolutionem per litteras, vel aliud medium. Non percipio, quomodò impoſſibile dici poſſit illud, quòd praxi demandari quotidiè cernimus.

Ad

Digitized by Google

Ad primum, falſum eſt, hæreticum habentem aliquod ex dictis impedimentis eſſe in neceſſitate obtinendi abſolutionem ab alio, quàm à Pontifice, cum ab iſto illam habere poſſit per viam ordinariam; per quam quotidiè obtinetur, nimirum per viam ſecretam, & tacito nomine per Pœnitentiariam, vel Sac. Congregationem S. Officii, ut diximus.

Ad ſecundum reſponſum dedimus, textus illos ſpecialiter loqui de excommunicatione lata in percuſſores Clericorum, nec extendi poſſe ad excommunicationem hæreſi annexam; tùm quia non eſt eadem ratio de una, ac de altera; tùm etiam, quia etiamſi eadem eſſet ratio, hæreſis eſt ſpecialis reſervationis.

Ad tertium, Doctrina Scriptorum, qui ibi citantur, non habet locum in hæreſi. Delbene *dubit.* 61. *num* 9. inquit, quòd, ſi propter gravitatem hæreſis, illiuſq; ſpecialem reſervationem deberet Pœnitens recurrere per litteras, aut Procuratorem ad Inquiſitorem, vel Summum Pontificem, etiam in articulo mortis conſtitutus deberet hanc diligentiam facere, cum non videatur ſpecialiter ratio in uno caſu, quàm in alio. Sed quantùm valeat ratio iſta judicent alii. Jus concedit facultatem omnibus Confeſſariis pro tali articulo, non in caſu impedimenti; in mortis articulo non adeſt tempus pro tali recurſu; poſitus in dictis impedimentis poteſt recurrere.

SECTIO VIII.

An Confeſſarius quilibet abſolvere poſſit hæreticum, nedùm in articulo, ſed etiam in periculo mortis conſtitutum?

Videtur, quòd non, Soto *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Cano *in relect. de pœnit. part.* 5. Valentiæ *tom.* 4. *diſp.* 7. *qu.* 10. aliiſq; pluribus, qui de omnibus caſibus reſervatis generaliter loquuntur.

Primò. Privilegia tantùm valent, quantùm ſonant, nec extenſiones de caſu ad caſum admittuntur, ſolummodò conceſſum cenſetur, quod eſt expreſſum. In jure autem conceditur privilegium abſolvendi à reſervatis, & ab hęreſi ſolùm in articulo mortis, & nulla fit mentio de mortis periculo.

Secundò. Hæreſis propter ſuam enormitatem, & gravitatem ſtrictiſſimæ eſt reſervationis, & facultas abſolvendi ab ipſa ſpecialiter exprimi debet, ut manifeſtum eſt ex ſupradictis. Quapropter in mortis periculo conceſſa non intelligitur, at ſolùm in mortis articulo.

Tertiò. Aliàs ſequeretur, quòd frequenter homo ab hęreſi abſolvi poſſet, ſiquidem mortis pericula ſunt nimis frequentia, & voluntaria.

Quarè

Digitized by Google

Quarè poſſet quis navigare tantùm hac intentione, ut ab hereſi abſolveretur, quod eſt magnum inconveniens.

Reſpondeo, idem non eſſe periculum, & articulum mortis; quia mortis articulus appellatur, cum jam mors eſt in fieri, vel per cauſam naturalem, vel per violentam, ut cum in ęgrotante morbo gravi, potius mortis, quàm vitę ſigna conſpiciuntur; cum quis per Judicis ſententiam ad mortem damnatus de proximo eſt ſuſpendendus, vel capite plectendus, & generaliter, quando mors moraliter eſt certa, & ferè inevitabilis, ſivè naturali ex cauſa, ſivè ex morbo, ſivè ex cauſa violenta proveniat. Mortis periculum eſt, quando non omninò certò, & infallibiliter, moraliter loquendo, ſed tantùm prudenter, & probabiliter mors timetur, & frequenter eo caſu evenire ſolet, ut quando puerpera eſt primo paritura, vel aliàs difficiles partus experta fuit, dum quis ad bellum accedit, periculoſamvè navigationem ſuſcipit. *His ſuppoſitis*, dico, quòd ſi periculum mortis graviſſimum ſit, ęquale, vel ferè ęquale cum mortis articulo, itaut ad iſtum reduci poſſit, uti quando in medio navigationis ſe afferunt pericula graviora, tunc hereticus à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt. Covaru. *in Cap. Alma Mater part. p.* §. 11. *de ſent. excom.* Nugnus *in addit. ad* 3. *part. q.* 8. *art.* 6. *dub. ult.* Souſa *lib.* 3. *Aphoriſ. cap.* 4. *num.* 2. & omnes illi, qui abſolutè docent idem dicendum eſſe de periculo, & de articulo mortis, inter quos Sylveſt. *v. Confeſſor. p. num.* 6. Armilla, *v. Abſolutio num.* 12. Gloſs. *in Cap. Paſtoralis de Offic. Ordin.* Bonac. *diſp. p. de Cenſur.* Alter. *lib. p. de Cenſur. diſp.* 6. *cap.* 6. Trullench. *lib. p. Decal. cap.* 3. *dub.* 7. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 5. Sylvius *in addit. ad* 3. *part. q.* 8. *art.* 6. Suarez *de fide diſp.* 21. *ſect.* 4. Nam, quando periculum mortis eſt graviſſimum, proximum, & ęquiparatur articulo mortis, reverà cum mortis articulo coincidit, ac ſolo nomine differunt. In jure magna, graviſſimaq; pericula ſub articuli nomine veniunt, quinimò jura facientia poteſtatem abſolvendi, inter articulum, & hujuſmodi periculum non diſtinguuntur, ut patet ex *Cap. Eos, qui de ſent. excom. in* 6. ut, qui priùs articulus mortis vocatur, paulò poſt periculum dicitur; videri etiam poſſunt. *Cap. Si quis* 17. *qu.* 4. & *Cap. Ea noſcitur, de ſent. excom.* Eadem militat ratio de articulo, atq; graviſſimo mortis periculo, favorq; animarum petit, ut etiam pro tali periculo Sacerdotibus omnibus detur facultas abſolvendi, ne occaſione reſervationis aliquis pereat, & utrobiq; eſt caſus neceſſitatis extremę. Morale periculum graviſſimum ità ęſtimari debet, atq; in malis ità caveri ſolet, ſicut eventus ipſe, propterea dictum eſt. *Qui amat periculum peribit in illo.* Si verò periculum mortis graviſſimum non ſit, & ità proximum, ut ſtatim mors ſequatur moraliter loquendo, non quilibet Confeſſarius hereticum abſolvere poteſt,

niſi habita facultate a Superiore. Covaru. Nugnus, *ubi ſuprà*, aliiq; à principio relati. Suadent dictum iſtud rationes, & argumenta pro parte negante adducta; etenim loquendo de caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ, ibi expreſsè excipitur ſolùm articulus mortis, & quamvis mortis articulus ad periculum graviſſimum extendi poſſit per ea, quæ diximus, tamen certum eſt ipſius nomine non venire periculum morti non proximum, quòdq; articulo non poteſt equiparari, & jura, quę pro eodem articulum, periculumq; ſumere videntur, aut non loquuntur de mortis articulo ſtrictè, vel in periculo non graviſſimo, locum non habent. Hoc petit etiam hereſis ſtrictiſſima reſervatio; crimen ſiquidem iſtud, ob graviſſimam ſui malitiam, peculiaremq; enormitatem, ſpecialiſſima reſervatione dignum eſt; neq; facultas abſolvendi ab eodem ſub quacumq; conceſſione facultatis abſolvendi, etiam à caſibus in Bulla Cœnę, venit, niſi de hereſi ſpecialis mentio fiat. Nimis frequenter Confeſſarii ab hereſi abſolvere poſſent, ſi abſolvendi ab ipſa in quovis mortis periculo facultate gauderent. Quarè non concedimus, mulierem, quotieſcumq; eſt paritura, militem, quotieſcumq; bellum eſt aggreſſurus, Mercatorem, quotieſcumq; longam navigationem eſt ſumpturus, ab hereſi per Confeſſarium quemlibet abſolvi poſſe.

Ad primum, pro quanto contra primum aſſertum noſtrum militat, dicimus non fieri extenſionem de caſu ad caſum, cum periculum graviſſimum necis articulo mortis equiparetur.

Ad ſecundum, hereſis ſufficienter dicitur reſervationis ſtrictiſſimę, dum facultas abſolvendi ab ipſa conceſſa intelligitur ſolùm in articulo, graviſſimoq; periculo mortis, & non pro aliis caſibus.

Ad tertium patet ex dictis. Pericula mortis graviora voluntaria non ſunt, nec frequentiùs accidunt, quàm mortis articuli. Souſa *in Bulla Cœnę cap.* 13. *diſput.* 99. extendit articulum mortis ad periculum omne, ex quo probabiliter mors ſequi poteſt; dicit tamen, quòd non quęvis tempeſtas ad effectum abſolutionis impendendę cenſetur periculum mortis, ſed illa, ex qua naufragium probabiliter timetur, nec quilibet obſeſſus in periculo mortis exiſtimandus eſt, ſed qui telis impugnatur, nec quęlibet prægnans, quæ eſt in probabili periculo.

SECTIO IX.

An hæreticus in mortis articulo abſolvendus ſit cum aliquibus conditionibus?

VIdetur, quòd non. *Primò.* Si cautio aliqua ab ipſo exigenda eſſet, maximè de ſatisfaciendo parti lęſæ, prout dicitur in Bulla Cœ-

la Cœnę. Multoties autem hęreticus neminem lęſit, ut quando hęreſis occulta eſt, & ipſi ſoli cognita. Quando verò eſt manifeſta, lęſa videtur Eccleſia, ſed iſta injuriam, offenſamq; gratis condonat.

Secundò. Juramentum, quod Bulla Cœnę vult exigendum ab infirmo de obediendo mandatis Eccleſię, locum non habet in hęretico, at tantùm in percutiente manifeſtè Cardinales, Epiſcopos, & ſimiles, ut docet Medina *lib. 2. Summæ cap. 12.* Undè nec altera conditio de juramento prædicto in abſolutione hęretici pro mortis articulo apponenda eſt.

Tertiò. Hæreticus in mortis articulo abſolvendus non eſt cum conditione, ut poſteà compareat coram Superiore. Tùm quia promiſſio hęc comparendi exigenda eſt ſolùm in gravi percuſſione Clerici, Avil. *de Cenſur. part. 2. cap. 7. diſput. 3. part. 4.* Tùm quia infirmus in mortis articulo ordinariè eſt ſenſibus deſtitutus, aliquandò impubes, aut perpetuò impeditus. Deniq; quia, ſi Confeſſarius ex ignorantia, vel malitia ab infirmo juramentum iſtud non petat, adhuc eſt abſolutus.

Reſpondeo. Hæreticus in mortis articulo abſolvendus eſt cum tribus conditionibus, nimirùm de ſatisfaciendo parti lęſę, ſi ſatisfactio aliqua occurrat; de juramento pręſtando pro obedientia mandatorum Eccleſię, atq; obligatione comparendi coram Superiore.Ità habetur in Bulla Cœnę per hęc verba: *Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in articulo mortis conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit.* Cautio, ſi vim nominis attendamus, monitore Tullio 4. *Tuſc.* nil aliud eſt, quàm *providentia quædam, qua avertimus, & vitamus, ne quid mali nobis accidat*. Sed apud Juriſtas, aliquandò ſumitur pro nuda promiſſione, ex qua firma obligatio inducitur, *L. Sancimus, C. de verb. ſignif.* aliquando pro obligatione cum pignoribus, vel fidejuſſoribus. *L. Si mandato §. ult. ff. mandati.* Hęreticus in mortis articulo priuſquam abſolvatur, obligandus eſt ad dandam cautionem de ſatisfaciendo parti læſæ, ſi aliquem ſeduxerit, aut ipſius hæreſis manifeſta fuerit; debet enim jurare, ſe quamprimum potuerit ad ſanam doctrinam reducturum illum, qui fuit à ſe deceptus, etſi dogmatizaverit, vel contrà Eccleſiam Catholicam ſcripſerit, debet doctrinam, & errores ſuos revocare, & multoties obſtringitur ad ſcribendum in contrarium falſam doctrinam, quam docuit, retractando. Quamobrem hęretici debitum non eſt pecunię, neq; honoris, per ſe loquendo, ſed doctrinę. Controvertuntur Doctores, num priuſquam moribundus abſolvatur, ſatisfacere teneatur. Alter. *tom. p. de Cenſur. diſp.* 22. *lib.* 5. *cap.* 2. arbitratur, ante abſolutionem, quę traditur in articulo neceſſitatis à cenſuris Bullę Cœnæ, non expoſci, tanquam neceſſariam

Digitized by Google

conditionem, ut parti læſæ realiter ſatisfaciat, quandoquidem in Bulla non dicitur, exigendam eſſe ſatisfactionem, ſed cautionem de ſatisfaciendo. Placet ſententia Souſæ, *in explicat. Bullæ Cœnæ cap.* 23. *diſp.* 98. quòd ſi ſatisfactio commodè fieri poſſit, non eſt pœnitens abſolvendus in mortis articulo cum ſola cautione, ſed Confeſſarius, ut rectè ſuo munere fungatur, ad ſatisfaciendum ante abſolutionem obligare debet. Nihilominùs puto, vix poſſe dari caſum, in quo hæreticus antè abſolutionem in mortis articulo realiter ſatisfacere poſſit, quia ipſius debitum eſt doctrinæ, ut diximus, & in articulo mortis conſtitutus non eſt in ſtatu docendi, & ſcribendi; ſecus eſt, quandò debitum eſt pecuniarium. Cautio de ſtando mandatis Eccleſiæ eſt promiſſio juramento firmata. Alter. *ubi ſupra*, Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *qu.* 15. quoniam cautio, quæ jure communi ab excommunicato exigitur antè abſolutionem, eſt juratoria, & verba Conſtitutionum in quacumque diſpoſitione interpretationem à jure communi recipiunt, *l. unic. in princ. C. de inoff. dot.* juramentum iſtud idem eſt, ac juramentum de obediendo mandatis illius, qui abſolvit, etenim cum iſte abſolutionem nomine Eccleſiæ preſtet, jurare obedientiam ipſius mandatis, eſt preſtare juramentum obedientię Eccleſię mandatis, Gloſ. *Cap. Ex tenore, de ſent. excom. verſic. Debeat*, ibi. *Et idem eſt ſic jurare, ac ſi juraret ſtare mandatis Eccleſiæ. Cap. Si qui* 7. *qu. pr. v. Conſenſu.* Sanchez pluribus relatis *lib.* 2. *Moral. cap.* 13. Delbene *dubit.* 66. *num.* 7. Abſolvens autem ex vi hujus juramenti nihil aliud imperare poteſt, quàm abſtinentiam à ſimili crimine, ob quod in excommunicationem incidit. Suarez *de Cenſur. diſp.* 19. *ſect.* 2. *num.* 10. Demùm, quotieſcumque Sacerdos in mortis articulo hæreticum abſolvit, debet ipſum monere de obligatione comparendi coram Superiore, cum primùm potuerit. *Cap. De cætero, de ſent. excomm.* ubi dicitur. *Sed eſt illi ſub juramenti debito injungendum, ut quàm citiùs opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat, mandatum Apoſtolicum ſuſcepturus.* At Canon iſte ſpecialiter loquitur de excommunicato ob Clerici percuſſionem; Sed *Cap. Eos, qui eod. tit. in* 6. generaliter loquitur. Verùm de obligatione hæretici abſoluti in articulo mortis ad comparendum coram Superiore, dicemus infrà.

Ad primum, hæreticus ſatisfacere debet parti, ſi quam læſerit; poteſt enim eſſe, quòd parti ſatisfactionem non debeat, ut quandò hæreſis omninò occulta fuit, & quod privatis perſonis, & Eccleſiæ ſatisfacere teneatur. Sufficit, quandò debitum eſt doctrinæ, quòd juret, cum primùm potuerit à ſe deceptum ad ſanam doctrinam reducturum, nec eſt neceſſe, quòd cautionem præſtet pignoratitiam, aut fidejuſſoriam. Suarez *de Cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 3. *nu. p.* Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 13. *num.* 23.

Digitized by Google

23. Delbene *dubit.* 66. *num.* 5. cum ſuo Palao.

Ad ſecundum, juramentum de obediendo mandatis Eccleſiæ, in excommunicationibus omnibus exigendum non eſt; tamen in illis, quæ ob graviora crimina, qualia ſunt reſervata in Bulla Cœnæ contrahuntur, exigi debet, & non tantùm in abſolutione illius, qui ob manifeſtam percuſſionem Cardinalium, Epiſcoporum, ac ſimilium, eſt excommunicatus, quidquid ſcripſerit Medina. Certè de excommunicatis in Bulla Cœnæ hoc difficultate caret, cum expreſsè ibi dicatur: *Nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita abſolvi poſſit.*

Ad tertium, communis Scriptorum ſententia eſt, abſolvendum non eſſe quempiam à caſibus reſervatis, niſi cum obligatione comparendi coram Superiore, aliàs in eamdem ſententiam incidit, *Cap. Eos, qui de ſent. excomm. in* 6. & videri poſſunt Sayr. *lib.* 3. *cap.* 25. Navar. *cap.* 27. *num.* 89. Delbene *ubi ſupra num.* 12. nec audiendus eſt Avila. Limitari tamen debet hoc dictum ad caſum, quo abſolvendus non ſit incapax ad comparendum, vel ob ætatem, ab impubere enim juramentum iſtud exigendum non eſt, vel ob ſenſuum deſtitutionem, vel ob impedimentum perpetuum; tunc ſiquidem non tenetur comparere perſonaliter. Si Confeſſarius ex ignorantia, vel malitia juramentum hoc non petiit, adhuc infirmus eſt abſolutus, habetque obligationem comparendi, quia nullibi irrita reperitur abſolutio ex defectu hujus conditionis, nec obligatio comparendi eſt ex vi juramenti, ſed præcepti, ac mandati, ut colligitur ex *dicto Cap. Eos, qui.* Non tamen eſt ſuperfluum juramentum, quia majorem ad cautelam, extenſivamque obligationem expoſtulatur. *Si quæras.* Num abſolutus in mortis articulo, ſi convaleſcat, teneatur comparere perſonaliter? Dicimus, percuſſorem Clerici ad hoc teneri. *Cap. Quod de his, de ſent. excomm.* ibi *Ceterùm ab his in forma Sacramenti exigi conſuevit, ut reſumptis viribus, & opportunitate conceſſa Romanam Eccleſiam in propria perſona debeant viſitare.* Excommunicati ex alia cauſa obligationi comparendi Superiori ſatisfaciunt, comparendo per Procuratorem, aut per litteras. Sylveſt. *v. Excommunicatio* 8. §. 8. *queſt.* 7. Armill. *eod. v.* 59. Henriq. *lib.* 13. *de excomm. cap.* 29. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 33. Delbene *dubit.* 68. *num. p.* Tùm quia nullo jure cavetur, ut iſti perſonaliter compareant. Tùm etiam, quoniam per ſe ipſum facere videtur, qui per Procuratorem agit. *Cap. Epiſcopus diſt.* 18. Sed deſcendamus ſpecialiter ad debitum comparendi, quod habet hæreticus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO X.

An Hæreticus in mortis articulo abſolutus, ſi convaluerit, coram Superiore comparere teneatur?

VIdetur non teneri. *Primò*, Si quis ex vi Jubilæi, Cruciatæ, alteriuſvè privilegii abſolvatur, non habet ampliùs obligationem comparendi coram Superiore, ut communiter ſentiunt Scriptores, viderique poſſunt, Henriq *lib.*6.*cap.*10. *num.*5. Suarez *de pœnit. diſp.*30. *ſect.p. num.*6. Sanchez *lib.*2. *cap.*13. *num.*31. Delbene *dubit.*68. *num.*5. quia Sacerdos privilegiatus nomine Superioris integrè ſuccedit, & aliàs privilegium ferè nullius utilitatis foret. Non eſt majus privilegium Jubilæi, & Cruciatæ, quàm articuli mortis; ideòque nec Hæreticus in mortis articulo abſolutus, ſi convaleſcat, poſteà habet onus comparendi.

Secundò. Nulla eſt neceſſitas, ut hæreticus in mortis articulo abſolutus, poſtquam convaluerit, compareat coram Superiore. Siquidem comparere non tenetur, ut iterùm abſolvatur, cùm plenè jam abſolutus ſit, *Cap. Non dubium, de ſent. excomm.* ibi. *Nec niſi in articulo mortis ſine Romano Pontifice abſolutionis poſſunt beneficium impetrare*. Bulla Cœnæ, *verſic. Niſi in mortis articulo*. D.Th. *in ſupplem.* 3.*p. qu.*8. *art.*6. Neque ut parti læſæ ſatisfaciat, nam forſan nulla pars eſt, cui ſatisfactio exhibenda ſit, ſicut dum hæreſis occulta eſt. Ergo hæreticus ſic abſolutus onus comparendi non habet.

Tertiò. Intantùm hæreticus abſolutus in mortis articulo ſe præſentare deberet coram Superiore, inquantùm ſatisfacere teneretur Tribunali externo. Navar. *cap.*26. *dub.*4. *concluſ.p.* & 2. Gambarupta *de caſibus reſerv. cap.*2. *num.*65. hæreticus autem occultus non tenetur ſatisfacere Tribunali S.Officii in foro externo: Undè nec antè abſolutionem tenetur comparere in S. Officio.

Reſpondeo. Hæreticus, qui in mortis articulo, vel periculo abſolutus fuit, poſtquam convaluerit, tenetur ſe præſentare coram Superiore, quia in *Cap. Eos, qui de ſent. excomm.* habetur: *Eos, qui à ſententia canonis, vel hominis (cùm ad illum, à quo aliàs de jure fuerant abſolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro abſolutionis beneficio habere recurſum) ab alio abſoluuntur: ſi ceſſante poſteà periculo, vel impedimento hujuſmodi, ſe illi, à quo his ceſſantibus abſolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus*

excom-

excommunicati fuerant humiliter recepturi, & ſatisfacturi, prout juſtitia ſuadebit: decernimus (ne ſic Cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ.) in eamdem ſententiam incidere ipſo jure, quod intelligendum eſt de eadem ſententia, ſpecie, non numero. Scio quamplures docere, hæreticum manifeſtum, cui ob criminis gravitatem infligenda eſt mors, aliavè gravis pœna, abſolutum in articulo, vel periculo mortis, non teneri ſervare diſpoſitionem *dicti Cap. Eos, qui*, quatenùs obligat taliter abſolutos, ut ſe præſentent coram Superioribus quamprimùm, ſi convaleſcant, Valer. *de. differ. utriuſque fori v. hæreſis differ.* 5. *num.* 2. Lupus *in Edicto S. Officii lib.* 10. *diſt.* 9. *art.p. diffic.p.* & alii. Sed in hac parte diſtinguendum eſt; nam præſentare ſe Superiori in caſu noſtro dupliciter intelligi poteſt. Uno modo judicialiter, & in foro externo; & tunc hæreticus ſic abſolutus non tenetur comparere, ſeque præſentare, quia hæreticus occultus non tenetur ſe prodere, maximè cum ſui gravi periculo, & periculum eſt ſemper, dum quis comparet in S. Officio judicialiter, poteſt enim eſſe denunciatus, & præventus; Hinc ſcribentes in materia S. Officii dicunt, hæreticum non teneri ad denuntiationem ſui ipſius. Si verò hæreticus occultus non ſit, at denunciatus, inquiſitus, vel condemnatus, debitum comparendi judicialiter non habet, quoniam nullus tenetur exequi illud, ex quo mors ſibi ſequitur D. Th. 2. 2. *q.* 69. *a.* 4. *ad* 3. ubi inquit. *Nullus ità condemnatur, ut ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortē patiatur, & ideò non tenetur facere id, undè mors ſequatur, quod eſt manere in loco, undè ducatur ad mortem*. Cajet. *ibid.* §. *Ad octavam* ex hac doctrina docet, quod damnatus ad hoc, ut fame moriatur, comedere tenetur, ſi poteſt, & alii miniſtrantes tali damnato alimenta non peccant, in cujus ſignum laudabiliter à Valerio Max. *lib.* 5. commemoratur Rues Athenienſis, quæ Cimona patrem ſuum lacte proprio pavit, ne inediæ moreretur pœna. Lex poſitiva non obligat ad ſui obſervantiam cum tanto detrimento, nempè vitæ. *L. pr. ff. dd bonis eorum*, dicitur, ignoſcendum eſſe ei, qui ſanguinem ſuum qualitercumque redemerit. Non habet ergo debitum comparendi judicialiter coram Judicibus fidei ille, qui hoc facere nequit ſine periculo vitæ. Si damnato ad mortem, licitum eſt fugere è Carcere, Cajet. *ubi ſupra*, §. *Ad tertiam*, & *quartam*, & alii; Cur non erit licitum condemnato non ire, ſeù comparere coram Judicibus, à quibus damnatus fuit? Hæreticus occultus, antequam abſolvatur non habet debitum comparendi judicialiter in S. Officio propter dedecus, aliaque mala, quę illi evenire poſſunt, ſi præventus fuerit; multò minùs ad hoc tenetur hæreticus manifeſtus ob rationem dictam. Quomodò ergo obligari poteſt ad comparendum judi-

judicialiter, poſtquam fuit in mortis articulo abſolutus? Acquirit forſan debitum aliquod poſt abſolutionem? Sed ſi loquamur de præſentatione, & comparitione hæretici coram Superiore in foro ſecreto, & pœnitentiali, ſentio, hæreticum abſolutum in articulo mortis, poſtquam convaluerit teneri ad ſe preſentandum. De hæretico occulto hoc docet expreſsè Diana *part. p. tract. 5. reſol. 5.* quia cum hoc onere abſolutus cenſetur, ſi ſupervivat, ſub pœna reincidentiæ in eamdem cenſuram. Lupus *ubi ſuprà*, idem ſcribit, addens, quòd ſi in iſto foro ſecreto ſe præſentet, & Judex renuat illum audire ad nihilum ultrà tenetur, nam ſecretum relinquere debet in ſuo ſtatu, cum non deſerviat ſibi pro foro fori. *Cap. Quis aliquandò §. Item illud Joannis Chriſoſtomi*, ibi. *Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neq; apud alios te accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ dicenti. Revela antè Deum viam tuam*, & paulò poſt; *ſecreta namq; peccata ſecreta confeſſione, & occultâ ſatisfactione purgantur*. Quamvis Doctores iſti ſe reſtringere videantur ad hæreticum occultum; tamen cenſeo idem eſſe dicendum de manifeſto. Cajet. *in Sum. v. Excommunicatio cap.* 69. inquit, materiam *dicti Cap. Eos, qui*, ſe reſtringere ad perſonas illas, quæ in talibus caſibus tenentur ſe præſentare Prælatis, ſeù Ordinariis &c. Hæreticus manifeſtus pro obtinenda abſolutione in foro conſcientiæ tenetur ſe preſentare Superioribus, & ſolùm in mortis articulo ab aliis abſolvi poteſt, idcircò habet idem onus, & debitum, etiam poſtquam in mortis articulo abſolutus fuit, ſi convaleſcat. Non tenetur tamen comparere perſonaliter, ut diximus ſuprà *ſect. præced.* & habet Cajet. *loco cit.*

Ad primum, non eſt eadem ratio de privilegio Jubilæi, vel Cruciatæ, & de articulo mortis, quia Confeſſarius privilegiatus tunc venit integrè nomine Superioris, & aliàs privilegium eſſet nullius utilitatis; ſed facultas abſolvendi in mortis articulo non eſt conceſſa, niſi pro neceſſitate, quæ neceſſitas ceſſat, poſtquam infirmus convaluerit. In Bulla Cœnæ expreſsè dicitur, abſolvendo in mortis articulo imponendum eſſe onus comparendi; in Bullis autem Jubilei, & Cruciatæ hæc conditio non habetur. Standum eſt autem expreſſis.

Ad ſecundum, hæreticus abſolutus in mortis articulo debet, poſtquam convaluerit, ſe præſentare Superiori, qui extrà eum caſum de jure poterat illum abſolvere, non, ut iterùm ab excommunicatione abſolvatur, cum plenè ab illa abſolutus ſit; ſed, ut Superior convenientem medicinam adhibeat, ſatisfactionemq; imponat, ſi imponendam judicaverit, Barboſ. *Cap. De Cætero, de ſent. excom.* Lupus *loco cit.* Gloſſ. *ibid. v. Suſcepturus* Abbas *num. ult.* & colligitur *ex dicto Cap. De cætero, & Cap. Quamvis, eod. tit.* Ad tertium patet ex dictis.

SECTIO

SECTIO XI.

Qualis eſſe debeat praxis Confeſſarii in abſolvendo hæreticum pœnitentem?

VIdetur ſervandam eſſe formam ſolitam abſolutionis pro aliis criminibus, quia hæreſis, etſi peccatum graviſſimum ſit, tamen circa abſolutionem non videtur ſpecialitate aliqua digna, cum eadem ſit pro omnibus Sacramentalis abſolutio.

Reſpondeo. Confeſſarius in abſolutione hæretici pœnitentis antè omnia indagare debet, num abſolvendus verum habeat propoſitum deteſtandi falſam doctrinam, & de facto ſuos errores reliquerit, aliàs abſolutionis incapax erit, quia, præterquamquod propoſitum iſtud ad quorumcumq; criminum abſolutionem prærequiritur; Bulla Cœnæ verba ſunt. *Declarantes, ac proteſtantes quamcumq; abſolutionem, etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis, cum verò propoſito ulteriùs ſimilia non committendi deſtiterint &c.* quod intelligitur, tàm de abſolutione ſolemni, quàm non ſolemni, ſivè generaliter, ſivè ſpecialiter impendatur, ut patet ex verbis illis, *Quamcumq; abſolutionem*. Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 25. Exigere debet cautionem de ſtando mandatis Eccleſiæ, nempè de faciendo illud, quod abſolvens præceperit. Et quia, ut inquit Hieronymus explanans dictum quoddam 2. *Theren. Hæretici fictis opinionibus corda ſimplicium à veritate rectæ fidei, & ſtatu bonorum operum ſubvertere certant*; atq; *in Cap.* 13. *Ezech. Non ſolida* (integra videlicet) *teſtimonia Scripturarum, ſed hæretica pravitate fracta, & decurtata imminutè proferunt, ut Sanctos quoſq; decipiant, & ad mortem trahant*; quòd etiam edocuit Auguſtinus *lib. de unit. Eccl. cap.* 13. inquiens. *Nonnè iſta eſt hæreticorum cavenda calliditas volentium convertere verba Dei à veritate, propter quam dicta ſunt, ad perverſitatem, in qua ipſi ſunt?* Ideò prudens Confeſſarius, ſi invenerit, hæreticum pœnitentem aliquos ſuis falſis dogmatibus decepiſſe, ab eiſdem juramentum de ſatisfaciendo per doctrinam Catholicam iis, quos ſeduxit, exigere debet, juxtà Gloſſ. *in Rubr. ff. de jur. & fact. ignor. Omnium hæreticorum* (vox erat Auguſt. epiſt. 56.) *quaſi regularis eſt iſta temeritas, conari auctoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ, quaſi rationis nomine, & pollicitatione ſuperare*; quamobrem, ſi hęreſis manifeſta ſit, abſolvendus ad cautionem præſtandam de ſatisfaciendo Eccleſiæ, omni meliori modo ſibi poſſibili, obligandus eſt. Pœnitenti hæretico enormitas criminis hæreſis proponenda eſt; graviſſimum ſiquidem crimen ipſa eſt, ſicut dixit Hieronymus

Digitized by Google

nymus *in illud Ezech. cap. 16. Tuliſti filios tuos, & filias tuas, quas genuiſti mihi, & immolaſti eis ad devorandum.* Ipſum audiamus. *Noſtra quoq; Hieruſalem, ſi hæretica fraudulentia ſupplantata fuerit, tollit filios ſuos (qui robuſtiores ſunt in fide) & filias, quæ non habent tantam fidei fortitudinem, aut certè filios, qui myſtica quoq; cognoſcunt, & filias, qua ſimplicem ſequuntur hiſtoriam, & tradit Dæmonibus devorandos. Quod dicitur juxta 70. Hoc eſt ſuper omnem fornicationem tuam, & abominationes tuas, illud ſignificat, quòd cunctis peccatis, & fornicationibus pejor ſit doctrina hæreticorum, quæ filios Dei facit filios Dęmonum.* Specialiter præaliis hæretici dicuntur Dæmonis filii, quoniam hæreſis in Diabolo ortum habuit, inquiente Apoſtolo *p ad Timoth. 4. Attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinæ Dęmoniorum;* necnon Auguſtino *lib. de util. credendi cap.* 8. *Quia multos Deos non potuit fabricare Chriſtianis, ſectas multiplicavit, errores ſeminavit, hæreſes inſtituit*, & *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 51. *Videns autem Diabolus templa Dæmonum deſeri, & in nomen liberantis mediatoris, currere genus humanum, hęreticos movit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ.* Admonendus eſt hęreticus, ut, tanquam peſtem, ſuperbiam fugiat; Carena *part.* 2. *tit.* 2. *num.* 51. quoniam teſte Auguſt. *Epiſt. contrà Manich. cap.* 6. *Mater omnium hæreticorum ſuperbia eſt*, & ex ſuperbia, atq; luxuria hęreſes oriri ſolent, ut latè proſequitur D. Hieron. *d. Cteſiſontem*, & Petrus Juſtinellus *in triumpho caſtitatis.* In Catholica veritate confirmandus eſt, deindè abſolvendus ſequenti forma. Pœnitens virga cędatur adhibita alicujus Pſalmi Pœnitentialis recitatione, poſteà addantur preces. *Kyrie eleiſon, Chriſte eli. Kyrie e, Pater noſt. Et ne nos inducas &c.* ℣. *Salvum fac ſervum tuum.* ℟. *Deus meus ſpe'antem in te.* ℣. *Dom. exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.* ℣. *Dom. vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Orat. *Oremus Deus, cui proprium eſt miſereri, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum &c.* Tandem addatur forma. *Abſolvo te ab excommunicatione, vel excommunicationibus, quam, vel quas incurriſti, propter cauſam hæreſis &c.* Ratio hujus eſt, quia ubi Princeps alicui concedit, ut actum faciat, quem alias de jure non poterat, intelligitur conceſſiſſe ſecundùm formam ſolitam fieri; *arg. l. Si quando C. de inoff. teſt.* Ità Souſa *in Bullam Cœnæ cap.* 23. *diſp.* 98. Deniq; poſt datam abſolutionem hæretico, Confeſſarius eum admonere debet diſtinctè de omnibus pœnis per eum incurſis ob hæreſim.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO XII.

An hæreticus Sacramentaliter abſolutus in mortis articulo poſſit poſteà in foro exteriori per Judices fidei puniri?

VIdetur non poſſe. *Primò*, quia Conc. Tarraconen. *apud Pegnam part.* 2. *Direct. com.* 25. habet. *Item quæritur; Quis antè Inquiſitionem inceptam fuit confeſſus Sacerdoti ſuo de hæreſi, vel fautoria, & vocatur modo ab Inquiſitori us? In caſu iſto credatur Confeſſori ſuo, etſi inventus fuerit bene confeſſus per confeſſionem Sacerdotis, licèt Sacerdos malè fecerit, quia ipſum non remiſit ad Epiſcopum, ille talis confitens per talem confeſſionem evitabit pœnam temporalem, niſi, vel inveniatur in falſa pœnitentia, vel relapſus poſt pœnitentiam, vel publicè diffamatus.* Igitur abſolutus Sacramentaliter non eſt amplius puniendus.

Secundò. Semel judicatus amplius judicari nequit, neq; Deus judicat bis in idipſum; hæreticus autem in foro Sacramentali abſolutus jam judicatus fuit, & in Tribunali Superiori, nimirum pœnitentiali. Quamobrem per Judices fidei amplius judicari non poteſt.

Tertiò. Sacerdos quilibet gaudet facultate legitima abſolvendi hæreticum in mortis articulo, non minus ac Epiſcopus, vel Inquiſitor. Quarè, ſicut abſolutus per Epiſcopum, vel Inquiſitorem, amplius puniri non poteſt, ſic abſolutus per Confeſſarium in mortis articulo liber eſt, atq; ab omni alio judicio immunis.

Reſpondeo. Hęreticus, poſtquam in foro interiori ab hęreſi in mortis articulo abſolutus fuit, ſi ſupervivat, non eſt liber, & immunis à pœnis, quibus in foro exteriori alioqui ſubiiciebatur, itaut amplius in eum inquiri, animadvertiq; nequeat, & ipſe tueri ſe poſſit hac exceptione dicens, ſe in foro pœnitentiali abſolutum eſſe. Zanchin. *de hæret. cap.* 34. Campeg. *ibidem. Repert.* Inquiſit. *v. abſolutio* §. *Sed an abſolutio*, & *v. Confeſſio* §. *Utrum, ſi in foro*, Locat. *in Judic. Inquiſit. v. Abſolvere nu. p.* & *v. Hæreticus num.* 24. Azor. *lib.* 8. *cap.* 19. *q.* 6. Trullench. *in Decal. lib. p. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 21. Pegna *part.* 2. *direct. com.* 25. qui docet, ſententiam contrariam eſſe erroneam. Confeſſarius non eſt Judex hujus criminis, cum poteſtas procedendi in hæreſi Epiſcopis, & Inquiſitoribus tributa ſit; quapropter per abſolutionem impenſam à Confeſſario, pœnitentiamq; ab ipſo impoſitam, cauſa hæretici non poteſt dici cognita, & judicata; itaut in foro exteriori amplius judicandus non ſit. Pœnitentia fori Sacramentalis non reſtituit quo ad pœnas temporales, ſicuti per ipſam non remittitur furi pœna. *L. Qui ea mente ff. de furtis*; neq; raptori, *L. Non prodeſt, ff. vi* 60. *rap.* aut fornicario, qui poſt pœniten-

Digitized by Google

nitentiam rurſus accuſari poteſt, per ea, quæ Stephanus Papa V. ſcribit Aſtulpho, & habetur 33. *q.* 2. *Can. Admonere*. Sententiam, pœnamq; latam, impoſitamq; a Confeſſario in foro Pœnitentiæ nequaquam liberare criminoſum à pœna, ſivè Canonica, ſivè Civili, exteriori in foro luenda, tradunt Gloſs. *in Cap. Gaudemus de Divort. v. Poterit*, inquiens. *Sic etiam per pœnitentiam tollitur crimen, quod mulier contraxit fornicando quo ad Deum, & tamen poſt quantamcumq; pœnitentiam poteſt maritus illam accuſare*. Paulus Caſtrenſ. *in l. Cunctos populos, C. de Sum. Trinit. & fid. Cath. num.* 7. Abbas, Imol. & communiter Scriptores *in Cap.* 1. *de empt. & vendit.* & ratio eſt, quia pœnitentialis pœna Sacramentali in foro impoſita ad hoc tendit, ut per eam pœnitens Deo, animæq; propriæ ſatisfaciat: At juris civilis, vel Canonici pœna ad punitionem corporis, publicamq; vindictam ſpectat; itaut etiam Reipublicæ ſatisfaciat, qui, delinquendo, malo exemplo eam offendit. Excommunicato, in foro conſcientiæ abſoluto, quo ad Eccleſiam communio denegatur, & ipſe debet in publico ſe gerere, tanquam excommunicatum. Covaru. *in Cap. Alma Mater p.* 1. *§.* 11. Fagnan. *in Cap. Poſtulaſtis, de Cleric. excom. Miniſt.* & noviſſimè cenſuit Congregatio Immunit. in cauſa Mediolanen. Sac. Concilii Trident. Congregatio pariter cenſuit, nequaquam poſſe in vi privilegiorum, ſeù litterarum Apoſtolicarum, etiam ſatisfacta parte, abſolvere pœnitentes à Cenſuris, quo ad forum externum, abſolutumq; ab eis in foro conſcientiæ, pœnitentialiq; non cenſeri abſolutum in judicio exteriori, & contentioſo, quinimò cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, denunciatos cogi poſſe à locorum Ordinariis gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus abſolutionem obtinuerint: Undè beneficia Eccleſiaſtica ipſis conferri non poſſunt. Fagnan. *ubi ſuprà*. Prędicta vera ſunt, etiamſi pœnitens pœnitentiam à Confeſſario impoſitam publicè perſolviſſet. Abbas *in Cap. De his, de Accuſat.* Pegna, Azor. aliiq; citati, & facit *Tex. Cap. Statuimus, de Maledic.* Nec hęreticus, qui jam moriturus pœnitet, & cum non ſit locus, ut, judiciario ordine ſervato, Eccleſię reconcilietur, à quolibet privato Sacerdote in mortis articulo abſolvitur, ſi convaleſcat, & ad S. Officium deferatur, uti poteſt Confeſſarii teſtimonio in probationem, quòd abſolutus fuerit. Siquidem, ut doctè Pegna *dict. Com. verſic Quòd ſi aliquis dicat*. Non debet Inquiſitor, propter talem teſtem, iudiciarium omittere ordinem, Confeſſarioq; credendum non eſt, dum aſſerit, hęreticum eſſe à ſe abſolutum in foro pœnitentię, vel de inquiſiti innocentia teſtificatur, & idem firmant etiam Azor *q.* 7. Trullench. *num.* 20. aliiq; plures, eò quòd Judex in foro exteriori ſecundùm ea, quę in judicio legitimè probata ſunt, non autem juxtà privata judicia, ſententiam in reos, ac ſontes ferre debet. D. Th. 2. 2. *q.* 67. *art.* 2.

Illu-

Illuſtrari etiam poteſt aſſertio, ex eo, quod communiter tradunt Doctores, nimirum, hereticum publicum in mortis articulo abſolutum in foro Sacramentali, poſt mortem rurſus abſolvendum eſſe, ſuppoſito, quòd abſolutionem petierit, & per ipſum non ſteterit, quominus antè obitum in foro externo abſolveretur. Tùm quia ita uſu receptum eſt juxtà ea, quę Innoc. III. ſcripſit Abbati S. Andreæ, adducta in *Cap. A nobis, de ſent. excom. ibi. Poteſt tamen, & debet ei Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam beneficium abſolutionis impendat*. Tùm etiam, quoniam talis abſolutio in foro externo neceſſaria eſt, ut poſſit in loco Sacro ſepeliri. Abſolutio autem iſta impendenda eſt ab eo, ad quem extrà mortis articulum ſpectabat, cum Tridentinum facultatem tribuat cuilibet Sacerdoti pro abſolutione à peccatis, & cenſuris in mortis articulo, ne ex defectu auctoritatis aliquem perire contingat, quod periculum poſt mortem ceſſat. Qua ex doctrina, & praxi infero, abſolutionem in foro Sacramentali nequaquam pro externo ſuffragari.

Ad primum reſpondemus cum Pegna, *ubi ſuprà*, olim valdè dubiam, controverſamq; fuiſſe in partibus Tholoſanis, & Narbonenſibus difficultatem, an credi debeat Sacerdoti aſſerenti, ſe abſolviſſe aliquem hæreticum. Valdenſes enim hæretici, & alii, quorum inſignes erant fraudes in deludendis Judicibus, effugiendiſq; interrogationibus, ubi videbant ſe ab Inquiſitoribus nimis urgeri, & legitimè convinci, hac exceptione tandem utebantur, ſe videlicet in foro conſcientiæ jam confeſſos eſſe crimen, & à ſuis Confeſſariis abſolutos. Controverſia variè definita fuit, quia Concilium Tarraconen. de quo in argumento, voluit, talem confeſſionem valere, credendumq; eſſe Sacerdoti, & exceptis illis tribus caſibus, nempè, niſi inveniatur in falſa pœnitentia, vel relapſus poſt pœnitentiam, vel publicè diffamatus, tales ità abſolutos pœnas temporales effugere. Sed Concilium Narbonenſe celebratum *Anno* 1280. id non definivit, ſed à Summo Pontifice monuit declarandum, inclinavit tamen in partem negantem, non eſſe credendum Confeſſario. Attendantur ejus verba *Cap.* 28. *Utrum autem ſoli Confeſſori credi debeat de abſolutione, ſeù pœnitentia defuncti, ſeù vivi, licèt ſatis videatur, quòd non, ne quid tamen Eccleſiæ poſſit impingi, Domini Papæ reſponſio expectetur*. Nunc autem Doctores ſentiunt, credendum non eſſe Confeſſario, propter rationes adductas, & quia nulla lege Civili, vel Canonica id cautum invenitur, nec non propter alia, quæ ab Auctoribus adducuntur.

Ad ſecundum, nullum inconveniens eſt, aliquem judicari in foro pœnitentiali, & in externo, ſeù Eccleſię, biſq; puniri, quando pœnæ tendunt ad diverſos effectus. In caſu noſtro hæreticus punitur in foro

con-

contentioſo; ſeù judiciali, eò quòd Rempublicam læſit. *L. Locatio §. Quod illicitè, ff. de Public. & Vectig.* punitus autem fuerat in confeſſione, ut Deo, animæq; ſuæ ſatisfaceret, atq; ideò impoſitio unius pœnæ non impedit impoſitionem alterius. Abbas *in Cap. De his, de Accuſat.* Fagnan. *dict. Cap. Poſtulaſtis*, & alii.

Ad tertium, Confeſſarius in mortis articulo abſolvere poteſt hæreticum ſolùm modo ſuprà explicato. Et hæc pauca ad Dei gloriam dicta ſufficiant.

FINIS.

401.037

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Abſolutio.

A Bſolutio duplex in foro conſcientiæ, & in foro externo, pag. 88. *In foro externo adhuc duplex, cum ſolemnitate, & ſine,* 71. 78. *Abſolutio à reſervatis, in quo caſu poſſit præſtari à quolibet Confeſſario.* 79. *Quando vero peccatis confeſſis ſuppreſſa etiam maneant abſoluta, quando non. ibid. Abſolutionis beneficium poteſt præſtari hæretico à quolibet Confeſſario, quando ſupponitur abſolutus in foro exteriori ab habente auctoritatem.* 70. *Abſolutio ab hæreſi, ejuſq; cenſuris eſt reſervata Pontifici ex vi Bullæ Cœnæ* 12. 13. *Illa tamen non poteſt, nec debet denegari hæretico purè externo à quolibet Confeſſario.* 7. *Abſolvere poteſt quilibet à ſententia Canonis, quando Conditor Canonis abſolutionem ſpecialiter ſibi non reſervat.* 138. *Abſolvens ex ignorantia non eſt tranſgreſſor temerarius.* 143 *Abſolutio ab excommunicatione contracta propter hæreſim data à Confeſſario non habente juriſdictionem nulla eſt.* 146. *Nulla debet reiterari.* 147. *Modus ſervandus per Confeſſarium, qui invalidè pœnitentem abſolvit.* 148. *Abſolutus in mortis articulo debet comparere coram proprio Sacerdote, ut innoteſcat ei, quòd eſt abſolutus.* 151. *Clericus ſimplex non Sacerdos non poteſt in mortis articulo abſolvere hæreticum excommunicatum.* 158. *Sacerdos ſimplex, præſente Confeſſario approbato, abſolvere nequit in articulo mortis hæreticum excommunicatum.* 160. *Quid, ſi Inquiſitor, vel alius ſuperior adveniat, dum Sacerdos ſimplex audire confeſſiones hæretici in articulo mortis conſtituto incœperit.* 161. *Infirmus in mortis articulo conſtitutus non tenetur mittere ad Inquiſitorem, quando adeſt periculum infamiæ, mortis, aut gravis incommodi.* 163. *Hæreticis in mortis articulo debet dari abſolutio cum aliquibus conditionibus.* 171. *Qualis eſſe debeat praxis Confeſſarii in hæretico pœnitente abſolvendo* 177. *Abſolvendus non eſt, qui non habet propoſitum deteſtandi falſam doctrinam. ibidem. Abſolutus in foro pœnitentiæ adhuc per Judices fidei puniri poteſt.* 179. *Vidè v. Confeſſarius, Hæreticus, Mortis articulus.*

Actus humanus.

Actus humani ſunt in duplici differentia. pag. 4. 5. *Ratio formalis actus humani aſſignatur.* 29. *Actus interioris hominis duplex conſidera-*

Digitized by Google

deratio. 11. 18. *Actus exterior quando hæreſis cenſendus.* 10. *Actu- interiores, quare à Pontifice non reſerventur.* 3. *Actus interni vis tiorum, & virtutum qualiter ſub Eccleſiæ juriſdictione cadant.* 6. 10.

Apoſtaſia.

Apoſtaſia, Schiſma, & Hæreſis, in quo differant. 101. *Apoſta- ſiæ quid nominis, quid rei, ac gravitas.* 102. *De Apoſtata idem judicium, ac de hæretico.* 105. *Apoſtaſiæ Auctor, ibid. Apoſtata in quo caſu à Confeſſario ordinario abſolvi poſſit.* 103.

Baptiſmus.

B*Aptiſmus quorundam hæreticorum validus eſt.* 155. *Calviniſta validè baptizat: ibid.*

Blaſphemia.

Blaſphemiæ hæreticales quænam. 117. *Cujus fori ipſæ ſint. ibid. In ebrietate, & ſomno prolatæ, an imputari poſſint ad culpam.* 26. 28. *Judex ſæcularis de ipſis cognoſcere nequit* 117. *Si in earumdem cognitione ſe ingerat eſt excommunicatus. ibid.*

Bulla.

Bullæ nomen undè acceptum, ejuſq; primum inventum. 99. *Bullæ Cruciatæ nuncupatio* 100. *Bullæ Cruciatæ ex Gregorii XIII. Con- ſtitutione legitima intelligentia. ibid. Ipſius ex vi Confeſſarii ab hæreſi abſolvere nequeunt* 101. *A Schiſmate ſic, dummodò non ſit cum hæreſi.* 106. *An ſententia Bullæ Cœnæ ſit à jure, vel ab homine* 140.

Cautio.

C*Autio explicatur, & definitur.* 171. *Cautionem præſtare debet hæreticus in mortis articulo abſolvendus.* 172.

Cenſura.

Sine abſolutione à cenſura quis ſalvari poteſt. 157.

Cifra.

Scribens in Cifra hæreſim propriam, an ſit hæreticus externus. 19.

Coactio.

Coacti ad actus hæreticales non ſunt excommunicati. 9.

Comparitio.

Comparere tenetur hæreticus abſolutus in articulo mortis, poſtquam convaluerit, coram Superiore. 174. *Secus, ſi privilegio Jubilæi, Bullævè Cruciatæ abſolutus ſit.* 176.

Confeſſarius.

Confeſſarii partes in abſolvendo legente Libros prohibitos. 130. *Con- feſſarius abſolvens ab excommunicatione in hæreticos latà graviter puniendus eſt.* 135. *Eſt excommunicatus, ac Officiis privatus. ibid.*

Non

Non ſolùm, ſi à cenſuris, ſed etiam, ſi à caſibus Bullæ Cœnæ abſolvat. 136. *Si in Urbe, vel extrà Italiam ſit, à quolibet Confeſſario abſolvi poterit, ſecus, ſi extrà Urbem, intrà Italiam.* 138. *Abſolvens ex oblivione, inadvertentia, aut ignorantia, etiam craſſa, & affectata, excommunicationem; aliaſvè pœnas non incurrit.* 141. 142. *In foro tamen externo ignorantia hæc non præſumitur. ibid. Non eſt neceſſe ad dictæ excommunicationis incurſum, quod virtute privilegiorum abſolvat.* 144. *In mortis articulo Confeſſarius quilibet ab hæreſi abſolvere poteſt.* 149. *Non eſt cauſa principalis, ſed Inſtrumentalis Sacramenti Pœnitentiæ.* 154. *Confeſſario dicenti, ſe hæreticum abſolviſſe, credendum non eſt.* 167. *Vide v. Abſolutio, Hæreticus, Mortis articulus.*

Confeſſio.

Confeſſionis præceptum urget in mortis articulo. 155.

Credens.

Credentes hæreticis quinam dicantur. 109. *Propriè hæretici ſunt. ibid. Non poſſunt per Confeſſarium quemlibet abſolvi. ibid.*

Defenſor hæreticorum.

Defenſor hæreticorum quis ſit? 109. *Excommunicatur, taliſq; excommunicatio reſervata eſt. ibid. Non omnis Confeſſarius defenſorem hæreticorum abſolvere poteſt.* 109. 110.

Dubietas.

Dubius in rebus fidei multiplex. 46. *Quænam dubietas hæreticum excommunicatum conſtituat.* 45. *Oſtenditur, dubietatem virtualiter includere diſſenſum.* 49. *Cum pertinacia in rebus fidei non pugnat.* 48. *Quomodo intelligatur dictum illud: Dubius in fide eſt infidelis. ibid. De dubiis eadem ratio in foro exteriori, ac interiori quomodo habenda.* 40. 41. *Dubia non cenſentur reſervata, niſi ſpecialiter expreſſa ſint, ibid. Dubitans, an externa in hæreſis prolatione mente conſenſerit, excommunicatus non eſt, ibid.*

Ebrius.

Ebrius hæreſim proferens, an excommunicationem incurrit. 40. 41. *An eidem ad culpam imputentur alia, ibid.*

Eccleſia.

Eccleſiæ poteſtas qualis, 3. *Ejus judicium, & juriſdictio,* 4. 5. 10. *Quæ delicta ſub illius juriſdictione cadant, ibid. Excommunicatio ad Eccleſiæ forum viſibile, ſeù externum pertinet, ibid. Eccleſiæ poteſtas, quo ad pœnam peccati, pœnaſq; cenſurarum, etiam perſonales, ad actus occultos per accidens extenditur.* 13. *Bifariam judicare, ac punire poteſt.* 14. *Contrà hæreticos externos occultos quomodo procedere debeat.* 15. *Explicatur modus procedendi*

dendi ipſius in foro interiori, & exteriori. 40. 65. *Eccleſia in minimo fallere nequit, aliter ſentiens hęreticus eſt*. 68. 70. *Eccleſiaſticam juriſdictionem violantium pœna*. 120. *Quid, ſi aliquis Eccleſię contradicat ſcienter, ſed non ex motivo contradicendi eidem*. 57. 111. *Tenens opinionem veram, quam putat eſſe contrà Eccleſiam, an excommunicatus ſit*. 53. *Eccleſia in mortis articulo agit ſecundùm ampliſſimam miſericordiam*. 151.

Epiſcopus.

Epiſcopus tantùm in foro judiciali abſolvere poteſt hæreticum, etſi occultum. 86. *Facultas ipſi conceſſa à Tridentino pro abſolutione ab hęreſi, quomodo intelligenda, ibid. Eidem derogatur per Bullam Cœnæ*. 88.

Excommunicatio.

Excommunicatio pœna omnium graviſſima, ejuſq; figura in veteri lege. 30. *Lata in hæreticos reſervata eſt Summo Pontifici*. 71. *Non tollitur per judicialem depoſitionem, ſed per abſolutionem*. 84. *Excommunicatur Monachus petens Curiam Principis Layci cum intentione mala in Prelatum, & Monaſterium*. 5. *Et Layci cognoſcentes de crimine ſuſpicionis hæreſis, ac merè Eccleſiaſtico*. 113. *Prælati Regulares ab excommunicatione in hęreticos lata abſolvere nequeunt*. 91. *Quando ab ebrio, vel dormiente, ſivè vero, ſivè ficto contrahatur, caſu quo hęreſim proferat*. 26. 27. *Excommunicatio lata in Laycos de hęreſis crimine cognoſcentes reſervata eſt*. 122. *Nonniſi in caſibus à jure expreſſis induci debet*. 134. *Excommunicatus, qui contritionis ſigna dederit, generalibus Eccleſię ſuffragiis fruitur*. 146. *Durare non debet excommunicatio, niſi quandiù juſta cauſa ex parte hominis permanet*. 147. *Excommunicato abſoluto in foro conſcientię per Eccleſiam communio denegatur*. 661. *Ipſe incapax eſt Eccleſiaſtici beneficii*. 167.

Facultas.

Facultas abſolvendi ab hęreſi non cenſetur conceſſa, niſi expreſſa ſit. 109. *Non admittitur inter favorabilia*. 110.

Fautor hæreticorum.

Fautor hęreticorum excommunicationem Bullarem incurrit, etiam effectu non ſecuto. 109. *Non eſt eadem ratio de fautoribus hęreticorum, & de fautoribus Schiſmaticorum*. 110.

Fides.

Fidei divinę ratio formalis. 65. *Ad ejus objectum formale abſolutè non ſpectant revelationes privatæ, licèt ſufficienter propoſitę*. 61. *Nec etiam aſſertio theologica, ut deducta* 63. *Negans conſequens deductum ex duabus de fide hęreticus eſt*. *ibid. Neutiquam conſequen-*

ſequentiam negans, aut conſequens deductum ex una de fide, alia naturali, ibid. Diſcrimen inter objectum fidei, & charitatis, ibid. Opinio abſoluta pugnat cum fide divina. 51. Non tamen reſpectiva conſtituit aliquem ſimpliciter hęreticum, & infidelem. 52.

Hæreſis.

HÆreſis ratio formalis 57. Eſſentialiter petit pertinaciam 41. 45. Pertinacia hęreticalis explicatur. 66. Dividitur in purè mentalem, & externam. 5. Mentalis declaratur, ibid. Externa petit manifeſtationem hęreſis internę 16. 17. Purè externa annexam non habet excommunicationem. 3. Hujus ratio. 8. Diſcrimen inter hęreſim, & alia crimina. 18. 55. Purè mentalis per ſe occulta; externa nonniſi per accidens. 13. 14. Ab hęreſi externa non excuſatur, qui internam hęreſim manifeſtat per verba ęquivoca. 21. Hęreſis in Canonicam, & Theologicam partitur. 45. In hęreſi materię parvitas non datur. 67. Qua ratione abſolutio ab hęreſi Pontifici reſervetur. 71.

Hæreticus.

Hęretici nomen quomodo in Eccleſia uſurpetur. 45. 60. Quinam ſub nomine iſto includantur. 114. Hęreticus, licèt occultus, pœnas omnes in hęreticos latas contrahit. 13. Hęreticus abſolutus interiori in foro, adhuc in exteriori abſolutus non remanet. 13. Hęreticus formaliter externus eſt, qui ſuam hęreſim in faciem Eccleſię manifeſtat. 18. Per quę verba hęreſis interna manifeſtetur, quibuſq; characteribus 19. Non fit aliquis hęreticus externus per ſignum non mortaliter peccaminoſum. 30. Nedùm per verba, ſed etiam per omiſſiones, & opera, hęreſis fit externa. 33. Quę ſint talia opera. 34. 35. Hęreticus externus non eſt, qui intendens manifeſtare hęreſim ſuam circa Incarnationem, non hanc, ſed aliam profert. 37. Utiq; ſi negat aliquid connexum cum hęreſi, quam manifeſtare intendebat. 37. Hęreticus non eſt privatę revelationi diſſentiens. 60. Hęreticus eſt ſentiens contra Eccleſiam, licèt paratus ſit corrigi, ſi argumentis convincatur. 65. Hęreticus ad mortem damnatus à Confeſſario quolibet abſolvi nequit. 72. Nec hęreticus negativus ſupplicio proximè tradendus. 73. Diſcrimen inter hæreticum negativum, & reum negativum de aliis criminibus. 74. Hęreticorum fautores, defenſores, & receptatores, quinam. 109. Hęreticus pœnitens in mortis articulo à Sacerdote quolibet, ſuſpenſo, interdicto, excommunicato, ſchiſmatico, hęretico, & degradato abſolvi poteſt. 152. Hęreticus influxum vitalem participare poteſt in ordine ad Eccleſiam. 154. In mortis articulo conſtitutus, omniq; alio deſtitutus, hęreſim ſuam Sacerdoti hæretico conſi-

confiteri tenetur, niſi deceptionis periculum adſit. ibid. Per Laycum abſolvi ab excommunicatione non poteſt. 157. Hæreticus non adſtringitur ad perſonaliter comparendum pro abſolutione. 165. Petere poteſt à Superiori abſolutionem abſq; periculo infamię, & quomodo. ibid. Si impeditus ſit adire Summum Pontificem, ob ęgritudinem, ſenectutem, aliudvè impedimentum perpetuum, adhuc per Confeſſarium quemlibet abſolvi non poteſt. 108. In mortis articulo abſolvendus eſt quibuſdam cum conditionibus. 170. Hęreticus, qui in mortis articulo abſolutus fuit, ſi convaleſcat, coram Superiore ſe preſentare tenetur. 174. Non in foro judiciali, & externo, ac ſecreto, & pœnitentiali. 175. 176. Abſolutus cenſetur in mortis articulo cum onere comparendi. ibid. Hęreticus in foro conſcientię abſolutus, in judicio uti non poteſt teſtimonio Confeſſarii. 180. Hęreticus fictè converſus denuò abſolvi debet. 76. Hęreticus pœnitens abſolutus eſt ab excommunicatione contracta ob hęreſes inculpabiliter omiſſas. 78. Vidè v. Abſolutio, Mortis articulus.

Ignorantia.

Ignorantia duplex, craſſa, & affectata. 42 Utraq; ab hęresi excuſat. 43. Affectata pariter, nec omnis ab excommunicatione excuſare poteſt. 43. Ignorantia pœnitentis qualiter admittatur. 44. Ignorantia craſſa, ſupina, & affectata excuſat ſolùm, quando pœna fertur in tranſgredientes ſcienter, ac preſumptuosè. 145. Craſſa, & affectata ſcientiæ non æquiparatur in ordine ad pœnam. ibid. Ignorantia Confeſſarii actum non convalidat. 147.

Imagines.

Imaginum deturpatio eſt delictum ſecum ferens hęresis ſuſpicionem & privativè ſpectans ad S. Officium. 119.

Inquiſitor.

Inquiſitores ab excommunicatione in hęreticos lata abſolvere poſſunt, 70. In foro tamen externo. ibid. Diſcrimen inter forum pœnitentię, & forum S. Officii. 9. 10. Inquiſitores in foro Sacramenti Pœnitentię ab excommunicatione in hæreticos lata abſolvere non valent. 89. Inquiſitor abſolvens in foro judiciali ſolvit animam à vinculo excommunicationis, etiam in foro conſcientię. 71. Inquiſitor non intendit abſolvere fictè converſum, undè talis abſolutio invalida. 75. Nec illum, qui aliquas hęreſes ſcienter reticet. 81. Inquiſitorum ad forum, pręter hæreſim, alia crimina ſpectant. 118. 120.

Jubilæum.

Jubilæi tempore, an omnis Confeſſarius ab hæreſi abſolvere poſſit. 95. Ab-

Digitized by Google

95. *Abſolutus vi Jubilæi non tenetur comparere coram Superiore*. 176.

Juramentum.

Juramentum præſtare debet abſolvendus à caſibus reſervatis. 173.

Juriſdictio.

Juriſdictio neceſſaria eſt ad validitatem actus. 146. *Juriſdictio Inquiſitorum, & Laycorum in delictis hæreſis, & ſuſpicionis, & ſeq.* 112.

Layci.

Laycorum non eſt ſuper intentione interrogare. 122. *Laycorum juriſdictio in cauſis fidei*. 112. *Layci cognoſcentes de crimine ſuſpicionis hæreſis excommunicantur*. *ibid.* *Laycus non poteſt abſolvere in mortis articulo hæreticum*. 157. *Laycus ex conceſſione Apoſtolica abſolvere poteſt excommunicatum*. *ibid.* *Laycus nunquam poteſt præſcribere actum ſpiritualem* *ibid.*

Lectio Librorum prohibitorum.

Legentes Libros hæreticorum tractantes de Religione, vel hæreſim continentes, per Confeſſarium omnem abſolvi nequeunt. 123. *Liber debet eſſe hæretici formalis notorii, ac denunciati*, *ibid.* *Librorum nomine veniunt etiam manuſcripta*. 124. *Quinam ſint Libri hæreſim continentes, & de Religione tractantes*. *ibid.* *Quid, ſi Liber de Religione tractet, ſed hæreſim non contineat*. *ibid.* *Ad quem ſpectet concedere licentiam legendi Libros probibitos*. 125. *Qui legere dicantur*. *ibid.* *Quid de Libris Judæorum, Græcorum, & Armenorum*. 126. 128. *Legens Libros probibitos abſq; dolo, maloq; animo in excommunicationem incidit*. 126. *Confeſſarius quilibet abſolvere poteſt legentes Libros prohibitos, non tractantes de hæreſi, au Religione*. 128. *An libri hæreticorum non continentes hæreſes, nec de Religione tractantes permitti debeant*. 129. *Legens Libros probibitos ex alia cauſa, quàm hæreſis, peccat mortaliter*. *ibid.* *Quid de Libris Aſtrologiæ judiciariæ, & continentibus artem divinatoriam*. 130. *Quid de audiente lectionem Librorũ probibitorum, eamq; imperante*. 131. *Legens Libros probibitos de mandato Domini ſui, vel alterius non habentis facultatem, eſt excommunicatus*. 133. *Lectio requirit perceptionem per viſum corporeum*. 134.

Lex.

Lex pœnalis non extenditur ad ſenſus improprios. 133. *Lex lata in facientes non comprehendit conſulentes, niſi boc explicetur*. *ibid.* *Lex conciliaris prior quomodo per poſteriorem abrogetur*. 74.

Libri prohibiti.

Libros probibitos abſq; debita licentia retinentes, legentes, imprimentes,

tes, & defendentes, quomodò ſint excommunicati. 123. *Vide v. Lectio Librorum prohibitorum*.

Mortis articulus.

Mortis articulus, in quo Confeſſarius quilibet à reſervatis abſolvere poteſt, explicatur. 149. *Reſervatio Cenſurarum, & peccatorum, quo ad Sacerdotes, in mortis articulo tendit in detrimentum animarum*. 146. *Cur in mortis articulo poteſtas abſolvendi à Caſibus, & Cenſuris omnibus Sacerdotibus conceſſa fuerit* 148. *Si Confeſſarius pro certo babeat non adeſſe periculum mortis, debet expectare Superiorem habentem facultatem abſolvendi à reſervatis* 149. *Hæreticus occultus conſtitutus in mortis articulo, non tenetur mittere ad Inquiſitorem pro abſolutione* 151. *Hęreticus pœnitens Romę in mortis articulo conſtitutus pro tempore illo, quo à Summo Pontifice, Sacra Congregatione, vel Majori Pœnitentiario abſolutionem petere poteſt, ab aliis abſolvi nequit*. 164. *Sub nomine articuli mortis non veniunt impedimenta ęgritudinis, ſenectutis &c.* 166. *Hæreticus manifeſtus abſolvendus non eſt ſacramentaliter, niſi priùs in foro judiciali ab Inquiſitore abſolvatur, ſi commodè ad ipſum recurſus baberi, ſecus in ultimo vitæ periodo* 164. *Mortis articulus explicatur* 169. *Coincidit cum graviſſimo periculo mortis, non tamen cum remoto ibid. Abſolutus ab hęreſi in mortis articulo, ſi ſupervivat, & denuncietur, poteſt adbuc in S. Officio puniri* 179.

Opinio.

Opinio abſoluta pugnat cum Fide Divina 51. *Conſtituit ſimpliciter hæreticum* 52. *Opinio claudit formidinem ſaltèm virtualem, ibid. Opinari in rebus fidei contingit dupliciter* 51.

Parvitas materiæ.

Parvitas materiæ in hæreſi, aliiſque criminibus immediatè Deum reſpicientibus, non datur 67.

Pœna.

Pœnæ comminatæ in Bulla Cœnæ ſpectant ad forum contentioſum 118. *Hęreticus, qui per Confeſſarium abſolutus fuit, adbuc per Judices Fidei puniri poteſt* 179. *Pœna pœnitentialis Sacramenti pœnitentię eſt diverſa à pœna per legem civilem inflicta* 180. *Poteſt quis bis puniri* 181.

Percuſſio Clerici.

Percutiens Clericum eſt excommunicatus, & tenetur perſonaliter comparere coram Summo Pontifice 165. *Non eſt eadem ratio de excommunicatione ob Clerici percuſſionem, & de hęreſi annexa* 168.

Peri-

Digitized by Google

Periculum.

Periculum mortis explicatur, & diſtinguitur 169. *In periculo graviſſimo mortis Hęreticus à Confeſſario quolibet abſolvi poteſt, ibid. Non tamen in periculo non graviſſimo, ibid.*

Pertinacia.

Pertinacia eſſentialiter requiritur ad hęreſim 43. 45. *Pertinacia hęreticalis explicatur* 66. *Pertinacia non poteſt eſſe ſine ſcientia* 43. 45.

Pixidis furtum.

Pixidis furtum ſpectat privative ad S. Officium 116.

Pontifex.

Pontificis ſuprema auctoritas tùm in foro conſcientię, tùm in foro exteriori 6. *Quomodò ſpectet ad Summum Pontificem ſibi reſervare abſolutionem à Cenſuris* 7. *Cur non reſervet ſibi actus purè internos* 3. *Abſolutio ab excommunicatione qualiter Pontifici reſervata ſit*. 70. 71. *Pontifex per hęreſim purè internam deponi non poteſt*. 17.

Privilegium.

Privilegia abſolvendi à Caſibus Bullę Cœnę revocantur 136. *Etiam conceſſa in favorem Regularium* 92.

Regulares.

Regulares non poſſunt abſolvere ab excommunicatione in hæreticos lata, quamvis hęreſis occulta ſit 92. *Quod verum eſt, etiam de Superioribus, & Pręlatis Regularium, ibid. Tàm reſpectu ſuorum ſubditorum, quàm reſpectu ſecularium* 94. *Privilegia Regularium per annuam Bullę Cœnę publicationem revocantur, ibid.*

Satiſfactio.

Satiſfacere tenetur hęreticus abſolvendus 171. *Satiſfactio iſta, quandoque debet fieri privatis perſonis ab Hęretico deceptis, quandoque Eccleſię* 172.

Schiſma.

Schiſmatici nomen undè? 105. *Schiſmatis vera definitio, ibid. Schiſmaticorum duplex ſpecies* 106. *Schiſmatici à Confeſſario ordinario abſolvi non poſſunt, ibid. Schiſmaticus non Hęreticus cur ſpecialiter excommunicetur* 107. *Schiſma, & Hęreſis differunt, ibid. Schiſmaticus, an privilegio Bullę abſolvi poſſit?* 81.

Sententia.

Sententia lata per Bullam Cœnę differt à ſententia per legem inflicta 109.

Spontè comparens.

Spontè comparens coram Inquiſitore gaudet benefitio abſolutionis ſolùm, ſi fictè non ſit converſus 75. *Si hęreſes aliquas inculpabiliter taceat, ab excommunicatione contracta propter iſtas abſolutus cen-*

Digitized by Google

ſetur 79. Secus ſi aliquas ſcienter reticuit 81.

Suſpecti de hæreſi.

Suſpecti de hęreſi ſuper intentione interrogantur, & torquentur 122

Suſpicio de hęreſi eſt delictum merè Eccleſiaſticum 120. Spectat ad Inquiſitores privativè quoad Laycos, ibid.

Vicarius Epiſcopi.

V*Icarius Epiſcopi, qui non eſt Sacerdos, non poteſt abſolvere in mortis articulo Hęreticum excommunicatum 158.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google